



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Toleti S. R. E. Cardinalis Summa Casuum  
Conscientiæ, Sive De Instructione Sacerdotum Lib. VII**

**Toledo, Francisco de  
Coloniæ Agrippinæ**

Capita Libri IV.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40916**



# INSTRUCTIONIS SACERDOTVM,

## LIBER IV.

*Quid sit Fides, quæ eius sit materia.*

### CAPVT I.

**M**ACTENVS in libro præcedenti, de Sacramento poenitentiae differuimus, materiam tamen ipsius remotam in communi tantum explicauimus. At quia non sufficit Sacerdoti ea sola cognitio, op<sup>o</sup> est in hoc libro præfenti, quem à præcedenti, ne vnus ultra modum prolixius continuatio conficere-  
tur, distinximus, de eadẽ materia in particulari tractare. Cum autem peccata sint transgressiones diuinorum mandatorum, congruum visum est de ipsis mandatis, tam Decalogi, quam Ecclesiae ordine suo agere, simul explicando particularia peccata, quæ ipsis opponuntur. Quia verò fundamentum horum mandatorum, virtutes Theologicae sunt, Fides, Spes, Charitas, de his primum dicendum est. Inter has igitur, quæ ob id Theologicae dicuntur, quia Deum habent pro obiecto, primo occurrit Fides, quippe quæ ad intellectum spectat, cuius operatio prior est, quam voluntatis, in qua Spes, & Caritas collocantur.

Vrgitur à fidei definitione exordium sumamus, sic posse definiti videtur. *Fides est assensus eorum, quæ per Spiritum sanctum reuelata sunt, quatenus à Spiritu sancto sunt.* In qua definitione quatuor partes continentur.

Prima est, *assensus.* Est autem assensus, operatio quædam intellectus, qua acquiescimus, & credimus rebus propositis, & comprehensis intellectu, siue veræ sint, siue falsæ. Fides igitur quædam est assensus, licet sit rerum verarum.

Secun-



Secunda pars est, *eorum, quæ per Spiritum sanctum reuelata sunt.* Non enim quarumcumq; veritatū fides est, sed eā, quæ Spiritus sancti reuelatione manifestatae sunt. Vnde veritates quæ in sciētijs traduntur, vel propria experientia habentur, non creduntur fide; sed eæ, quas non experientia, non ratio naturalis dicitur, sed lumen supernaturale Spiritus sancti.

Tertia pars est, *Ecclesiæ.* Aliqua enim Spiritus sanctus reuelat, quæ tamen nō credimus fide. Sunt enim reuelationes dicitur. Quædam quæ sunt singularibus personis, vt sunt multa, quæ Sanctis Deus reuelat, vt S. Brigide multa reuelata sunt, & similia. Deus alijs multis indicat: nos, talia non credimus fide, sed opinione humana. Quædam alia sunt, quæ Deus toti manifestat Ecclesiæ, qualia sunt quæ per Scripturas Sanctas habentur, & per Apostolicas traditiones, Concilia, & Pontificum determinationes. Talium assensus fides est.

Quarta pars est, *quatenus à Spiritu sancto sunt.* Ea, quæ reuelata sunt, multipliciter credi possunt: aut enim ratione aliqua probabili, aut quia confirmata sunt miraculis, aut propter certitium veritatem, aut aliqua alia causa. Inter oēs autem hos assensus, ille solus fides est, quo credimus reuelata esse vera, quia Deus dicit: vt, credo Deum esse trinum & vnum, credo esse Salvatorem, &c. nō quia ratio ista conuincat, aut quia ceteri ita dicunt, sed quia ita dicit Deus per Ecclesiam, ita vt medium, seu ratio prima credendi sit, quia sic Deus dicit per Ecclesiam suam. Hoc autem etiam credimus, at absq; vilo medio, sed lumine Spiritus sancti supernaturali inclinante nostram voluntatem, vt velimus credere, & eleuante intellectum, vt credimus. Ex his igitur partibus nota est Fidei definitio, quam de claritatem sic definiuimus. Ex hac definitione sequitur, naturam Fidei esse omnia ea, quæ in scripturis Canonice continentur, & quæ per traditiones Apostolicas vniuersales conseruantur, & quæ in Concilijs generalibus, vel particularibus, sed etiam Apostolica confirmatis, determinantur, & quæ à Romano Pontifice, vt tali, definiuntur: est enim vniuersale Ecclesiæ caput. Similiter quod vniuersi consensu omnes sancti Doctores dicunt, & omnia etiam, quæ ex aliquo horum per argumentum infallibile deducuntur. Hæc sex fidei credenda sunt enim per Spiritum sanctum reuelata Ecclesiæ, quatenus varijs reuelationum modis, & omnia talia recipit Ecclesia.



## De modo, &amp; necessitate fidei.

## CAPVT II.

**H**Æc fides, quæ definita est, omni homini necessaria est, non solum ad finem, id est, beatitudinem, sed etiam ad media ipsa, id est, opera meritoria ipsius finis exercenda: nullum enim opus existens sine fide meritorium est vitæ æternæ: ad Hebr. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo*: neque natus ullus, absque fide, vitam æternam consequitur: Marci ultimo: *qui non crediderit, condemnabitur*. Vnde fit, vt extra Ecclesiam nostram Catholicam nullus saluetur infidelis, in quacumque secta, sed omnes discedentes sine fide in sempiternum damnantur: non quidem omnes propter peccatum infidelitatis, sed propter alia sua peccata, in quibus sunt. Non enim omnes peccant in non recipiendo fidem Christi: multi enim ignorant inuicibiliter Christi fidem, & hi excusantur à peccato, quod committere poterant in non recipiendo fidem Christi, tamen propter alia damnantur. Illi vero ad quos notitia nostræ fidei peruenit sufficienter promulgata, noui committunt peccatum, non credentes: nullus tamen absolutè saluatur, nisi fidelis. Quamuis tamen fides dicatur necessaria ad meritum, & finem, non ob id intelligi debet, quòd sola sufficit: sed opus est opera cum charitate adiungere. quibus deficientibus, etiam fidelis & credens damnatur. Non enim omne quod necessarium dicitur ad aliquid, ob id sufficiens est. Aliquando enim sanguinis emissio necessaria est ad sanitatem, sed non sufficiens, nisi alia simul adhibeantur remedia. Aduertendum tamen est, non solum fidem interiorem esse necessariam, sed etiam ipsius exteriora confessionem, & manifestationem; quamuis non eodem modo: interior enim omni tempore necessaria est: si enim quis absque ea recedit, damnatur: siue sit fides in actu, siue habitu, vna harum sufficit: exterior confessio, non semper est necessaria, sed aliando: nam affirmatiua præcepta non pro omni obligant tempore.

Hæc autem confessio est necessaria, maximè in duobus casibus, vt habet S. Thomas 2.2. quæst. 3. art. 2. & omnes communitate docent.

Primo est, cum honor Dei aufertur. Hoc autem accidit, cum quis interrogatus, aut probatus ab aliquo infideli circa suam

Ff

fidem,



fidem, aut verbo, aut opere aliquo negat, aut tacet; in yracundia taciturnitate consentire videatur. In hoc enim casu, aperta manifestanda fides, etiam cum detrimento vitæ temporalis dicitur enim est: *Qui negauerit me coram hominibus, negabo eum coram angelis Dei.* Vnde, iter facientes per terras hereticorum, aut infidelium, cogentibus aliquid facere in fidei detrimentum, ut occidendi, idololatrare, vel carnibus vesci in diebus prohibitis, nullo modo est acquiescendum, & mortaliter peccant, qui acquiescunt, etiam ob temporalem fugiendam mortem: tunc enim est aperienda fides.

Posterior casus est, cum impeditur utilitas proximi. Cum enim aliquis videt, ex sua taciturnitate alios fideles trahi in errorem, quia putant fidem Christi non esse veram, ille talis tenetur, etiam cum vitæ periculo, veram manifestare fidem. Quando etiam aliquos videt errore teneri, qui fidem amitterentur, si illis fieret manifestatio, tunc tenetur confiteri fidem: cum verò nec de fide examinatur, nec aliqua spectatur utilitas proximi, temerarium est, exponere se istis periculis confessionis fidei inter infideles: solum enim est eos turbare. Extra hos casus, non est obligatio. Vnde, licet fugere persequutionem tyrannorum iuxta illud Matthæi decimo: *Cum persequantur vos fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam:* & ita fecerunt multi Sancti: sed hæc fuga licet, dummodò non auferatur honor Dei, aut utilitas proximi nimirum quia iudicat fidem non esse veram, aut propter id multi à fide auertuntur; tunc enim non liceret. Quamuis autem non semper sit necessaria exterior confessio, tamen semper est necessarium, non manifestare aliquam sectam. Non enim idem est, non ostendere se esse Christianum, & ostendere se esse infidelem: illud enim, non semper est illicitum, sed tantum in duobus casibus peccatis; hoc autem semper illicitum. Vnde, qui transiens per infidelium terras, vestiret se vestibus, quibus soli infideles vtuntur, vt ab alijs non distingueretur, peccaret mortaliter, secundum communem sententiam, vt qui in terris Turcarum ligaret caput tobalia alba, ne à Turcis occideretur, vel comprehenderetur.

Similiter, qui Romæ, vel in alijs similibus locis Indorum pileo vteretur, vt occultari posset. Qui etiam alijs similibus vterentur, consuetudine, & vsu communi, vel lege solis infidelibus deputatis. Si verò vestes essent communes infidelibus, & fidelibus, tunc quidē liceret vti, cum necessitas postularer, secun-

non



non. Durum tamen semper mihi visum est, tale esse peccatum mortale; tamen cōmunis sententia ita tenet, quæ in moralib. validum est argumentū. Hoc igitur modo fidei necessitas intelligenda est. Sed aduertendum est, non quocumq; modo esse fidem necessariam. Est enim fides duobus modis, & implicita, & explicita. Fides implicita est, qua creduntur fidei veritates non distinctæ in se ipsis, sed in aliquo communi principio: qui enim credit hoc modo; credo quæcumque tenet Ecclesia, implicitè credit veritatem articulorum, & aliorum ad fidem spectantiū. Explicita verò est, cum iam in particulari creduntur ipsæ veritates fidei in se, & non in communi. Nullus tenetur ad explicitam fidem omnium, quæ credenda sunt, habendam: sic enim oporteret distinctè cognoscere omnes Scripturas Sanctas traditiones, Concilia, & alia quæ diximus. Sicut autem nullus tenetur hanc fidem ita explicitam tenere, ita nullus satisfacit præcepto fidei per solam implicitam illam fidem, tenendo quicquid tenet Ecclesia; sed opus est media fide, partim implicita, partim explicita. Implicita quidem, eorum, quæ tenet Ecclesia, præter fidei articulos ad humanitatem, & diuinitatem pertinentes. quos omnes explicitè credere debet, quamuis non omnes teneantur difficultates, & sublimitates eorum penetrare. Omnes ergo, etiam rustici, tenentur scire; Deum vnum in essentia, trinum in personis, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, creatorem, saluatorem, & glorificatorem, Christi incarnationem, natiuitatem, mortem, resurrectionem, ascensionem, aduentum iudicij: & est mortale peccatum ista ignorare, secundam communem sententiam, nec ignorantia excusantur: non enim Christianè viuere possunt absque illorum cognitione. Vnde aduertant maximè Curati nam negligentiam, & Confessarij examinent pœnitentes. Hæc enim fides modò omnibus est necessaria; quamuis in Episcopis, & sapientioribus explicatio fides requirantur, vt præ fidei defensoribus, & declaratoribus.

*Quid sit hæresis, quare sic dicatur.*

### CAPVT III.

Oportet modò de peccatis contra fidem tractare. Fidei autem opponuntur tria, putà hæresis, apostasia, infidelitas, de quibus singulis dicendū: ac primò de hæresi.

Ff 2

De qua



De qua primò tractandum occurrit, quid hæresis sit. Videtur autè sic posse describi: *Hæresis est error perinax hominis Christiani, fidei Catholicæ ex parte contrarius*: in qua descriptione quinque sunt, quæ ad hæresim pertinent.

Primum est, *error*. est autem error existimatio veri pro falso, aut falsi pro vero: errat enim, qui falsum putat verum esse, & quod est verum, putat esse falsum. Hæresis igitur est quidam error, & quædam existimatio, aut veri pro falso, aut falsi pro vero. Ex quo generaliter tenendum est, ubi non est error intellectus, non est hæresis, quamvis factum ipsum sit contra factum fidei. Verbi gratia, conculcat quis hostiam consecratam, (quod absit) ve scitur carnibus tempore prohibito: spernit iungines: omnia ista sunt mortalia peccata, sed nondum hæresis videndum est, an qui facit hæc, existimet sibi licere ea, quia peccat Christum abesse à Sacramento, nec esse validam prohibitionem Ecclesiæ circa esum carniū certis temporibus: tunc enim est error & hæresis. Quod si non sic existimat, sed potius credit omnia, tamen aliquo metu, vel ira correptus illa facit, non est hæreticus, quamvis præsumatur exterius talis, sed interius non est, quia non errat.

Secundum est, *fidei contrarius*: Non enim quilibet error, est hæresis. Errare enim in scientiis, & opinionibus, non est hæresis. Errare tamen in his, quæ fidei sunt, hæresis est. Verbi gratia, tenere, & existimare falsum aliquid, quod recipit Ecclesiæ, vel existimare verum, quod est contrarium ei, quod tenet Ecclesiæ, ut de fide, hoc iam ad hæresim spectat.

Adhuc tamen error iste non est hæresis, sed opus est tertio, scilicet, *ex parte*. Dupliciter enim potest quis errare in fide, scilicet, negando totam fidem Christi, & hoc non est hæresis, vel apostasia, vel infidelitas, ut post dicemus, aut negando aliquam, vel aliquas veritates fidei Christianæ, & hæc est hæresis. Non enim hæretici totam negant religionem Christianam, sed unum, aut alterum articulum Ecclesiæ: ob id, dicitur hæresis contraria fidei, non quidem in toto, sed ex parte.

Adhuc opus est quarto, nempe, *hominis Christiani*, id est, baptizati: qui enim numquam baptizati fuerunt, quantumvis errant, non dicuntur hæretici: hæresis enim est hominis Christiani.

Adhuc tamen ista quatuor non sufficiunt, sed necessarium est maximè quintum, nempe, *perinacia*: & ut hoc vno verbo explicem, quæ dicatur perinacia, scito esse perinacem, qui



sciens esse illud, quod affirmat, contra Ecclesiam, adhuc vult illud sustinere. Errare igitur cum pertinacia, non est nimis adhaerere suis dictis, sed cognoscendo esse contra Ecclesiam, id recipere, puta falsum pro vero, aut verum, pro falso. Talis pertinacia est necessaria in hæresi, ita, ut, quâvis quis teneat contra ipsos articulos, aut contra scripturam, si ignorabat esse contra Ecclesiam, vel scripturam, non sit hæreticus. Ex his omnibus definitio hæresis nota est.

In summa ergo duo aduertenda sunt præcipuè in hæresi, & quod sit error contra fidem, & quod sit cum pertinacia assertus à cognoscente illum esse contra Ecclesiam. Est autem tam necessaria ista pertinacia, ut sine illa error numquã sit hæresis, sed aliquando sit peccatum mortale, aliquando actus meritorius, aliquando neutrum. Verbi gratia: si quis erret in his, quæ tenebatur scire, tamen sine pertinacia, quia nescit esse contra Ecclesiam, paratusq; est credere, quod tenet Ecclesia, licet non sit hæreticus, mortaliter peccat, quia errat in his, quæ scire tenebatur de necessitate. Vnde, multi rustici habentes errores contra articulos fidei excusantur ab hæresi, quia ignorant articulos, & sunt parati obedire Ecclesie; sed à peccato mortali non excusantur quia tenentur scire articulos: & hoc aduertant Confessarij. Rursus, si rusticus circa articulos credat suo Episcopo proponenti aliquod dogma hæreticum, meretur in credendo, licet sit error; quia tenetur credere, donec ei constet esse contra Ecclesiam. Rursus aliqui putant aliqua, quæ verè sunt contra ipsas Scripturas, sed ipsi ignorant, nec scire tenentur, nec peccant, nec merentur. In his omnibus, defectu pertinaciæ, non est hæresis. Maxime tamen notandum est, latioram inueniri pertinaciam in homine docto, quàm in rustico, & indocto. Rusticus solum forsan est pertinax, quando tenet aliquid, quod scit esse contra Ecclesiam, quia hæc est ratio illi credendi, ut credat, quod credit Ecclesia. Quod si teneat aliquid, quod scit esse contra traditiones Apostolicas, vel cõtra determinationem Papæ, non est pertinax adhuc; quia iste non tenetur scire istas esse regulas fidei, nisi sciat, illa etiam esse contra Ecclesiam, vel traditiones, vel quamlibet canonicam scripturam, vel communem Sanctorum sententiam, vel determinationes Pontificum, vel Concilia; statim enim atque scit esse contra Ecclesiam, si scit esse contra scripturam vel erem, si scit esse contra: verum est, quod pro maiori, vel minori



capto, potest esse latior pertinacia aliquando. Generaliter autem id verum est, quod quoties contra Ecclesiam aliquid esse dignoscitur, & tenetur, pertinacia est. Ex his omnibus, quid hæresis sit, perspicui potest. *ἀίρεσις* autem Græcè, idem est, quod Latine, electio, quasi fides ex propria voluntate hominis habita. Et adverte, quia homo ex se errat, & ex proprio defectu suo, ob id error ille ex electione dicitur, & hæresis. Quia verò veritati non credit supernaturali, nisi adiutus à Deo, qui homines eligit ad finem, iuxta illud: *Non me elegistis, sed ego elegi vos*: propterea credere, & tenere fidem, quamvis voluntarium sit, non tamen dicitur hæresis.

*Quibus modis peccetur peccato hæresis.*

CAPVT IV.

**A**duertendum est, tripliciter posse aliquem peccare peccato hæresis.

Primo, tantum interius, cum in corde habet aliquem errorem cum pertinacia erga materiam fidei, tamen actu aliquo exteriori non manifestauit talem interiorem errorem.

Altero modo, tantum exterius, cum aliquis in corde retinens veritatem fidei, exterius facit, vel metu, vel ira, vel aliquo alio motiuo aliquem actum contra fidem, vt veluti carnalibus prohibitis, illudere imaginibus, conculcare Sacramentum, vel verbo aliquid affirmare contra fidem, vel nunc aliquid concedere alteri contra fidem.

Tertio modo, interius, & exterius aliquid facit contra fidem, siue coram alijs, siue solus, & nullo præfente. Omnia ista sunt grauissima peccata mortalia, sed cum magna differentia. Primum, & tertium faciunt hominem verè hæreticum, quia peccata peccata amittitur fides interior. Secundum non facit hominem simpliciter hæreticum, quia verè ibi non est error, qui necessarius est in hæresi; ob idque non proprie est peccatum contra fidem, sed contra fidei confessionem, nec ob tale peccatum fides interior amittitur; quamvis in foro exteriori, quod de exterioribus maximè cõsiderat, ille homo sic peccans præsumatur hæreticus, & interius etiam errare.

Alteram etiam existit differentiam. Primum peccatum hæresis interius tantum nulli subiacet excommunicationi, ita Anton.



3. p. tit. 25. c. 4. Palud. in 4. d. 13. q. 3. Sylu. excommunicatio. 9. §. 3.  
 Non etenim Ecclesia, quantum ad exterius forum, intromittit se in iudicando actus solos interiores: ob id, ab habente auctoritatem audire confessiones absolui potest, quoniam non habet ullam reservationem.

Tertium autem peccatum, quod non solum interius, sed etiam exterius committitur contra fidem, quamuis sit occultissimum, ita ut nulli hoc sit cognitum, sed soli committenti, excommunicationem habet annexam latae sententiae, & est prima excommunicatio in Bulla Coenae Domini fulminata. Vnde ipsius absolutio ad Papam spectat, vel ad Inquisitores, qui habent à Papa facultatem absoluedi. Cum autem tale peccatum occultum est, debent Inquisitores in solo conscientiae foro audire, & absolvere. Modò autem post Concilium Tridentinum iam Episcopis est talis facultas in foro interiori concessa, ipsis quidem, non autem ipsorum Vicarijs, quod profectò sanctissime est institutum, & multos abusus auferendi causa erit. Hoc habetur determinatum in praedicto Concilio, sess. 24. c. 6. At secundum peccatum, quod tantum exterius committitur, quamuis in foro exteriori reputetur pro excommunicato quia reputatur pro haeretico etiam interius, tamen verè in foro exteriori nullam habet excommunicationem, sicut nec primò potestque à Confessario quolibet absolui. Ita tenet Sylu. verb. Apost. §. 4. & Nauar. c. 11. num. 24. Et ratio aperta est, quia excommunicatio fulminata est contra haereticos, at ille non est haereticus, cum fidem retineat veram, nec contra eam peccauit, sed solum contra confessionem: nec sunt penae iuris ampliandae. Vnde non est audiendus Caiet. 2. 2. q. 94. art. 1. qui tenet illud peccatum subiacere excommunicationi. Vide igitur quanta sit differentia inter ista peccata. Aduerte autem circa illam Coenae excommunicationem, quod non solum haereticus est excommunicatus, sed etiam fautores, receptores, defensores haereticorum, ipsorumque libros legentes, quamuis isti tales haeretici non sint. Sunt autem ista intelligenda, ut benè dicit Caiet. verb. excommunicatio de defensoribus, & receptoribus, & fautoribus haereticorum, ut haeretici sunt, id est, de ruentibus, ipsa ratione, quia sunt haeretici. Vnde, si quis aliquem reciperet haereticum, & domi retineret, quia infirmus erat, non excommunicatur in coena Domini, nisi alia feratur ab Inquisitoribus excommunicatio generalior. Vnum circa hoc est adnotandum, dubium in fide reduci ad haeresim. Est autem dubius



in fide, qui nec credit articulis, & rebus fidei, nec discretis, sed est suspensus omnino, & hoc, quia non reputat talia esse certissima, iste talis dubius est. Sunt autem duo necessaria, ut dubium hoc faciat hominem hæreticum. Vnum est, ut sit cum pertinacia, sicut in ipsa hæresi, scilicet, qui dubitat, sciat illud esse de fide, & dici ab Ecclesia. Alterum est, ut sit voluntarium dubium, quod sua sponte habet. Hoc dixerim propter scrupulosos, qui patiuntur innumera dubia contra res fidei, sed non voluntarie, at ex dæmonum suggestione, quæ verè dubia non sunt, sed apprehensiones eorum, quæ sunt contra fidem. Hæc autem tam longè distant ab hæresi, ut si patienter propter Deum ferantur, materia sint magni, & continui meriti. Sunt enim caminus ardens, in quo Deus aliquando suos fideles probari permittit. Dubia autem voluntaria contra fidem sunt, & hæreses reputantur; fundantur enim in quodam iudicio & hæretico virtuali, putà, res fidei non sunt omnino certæ & infallibiles, quod quidem iudicium, error, & hæresis aperta est.

*De excommunicationibus aliorum circa hæreticos.*

CAPVT V.

**Q**uatuor genera personarum innodantur aut peccato, aut excommunicatione circa negotium hæresis, quamvis tales personæ non sint hæreticæ.

Primi sunt testes. Qui enim sciunt, aliquem esse hæreticum pertinacem, siue secretum, siue publicum, sub mortali peccato tenentur reuelare, & denunciare Inquisitoribus: immò non denuncians incurrit excommunicationem sæpè ab Inquisitoribus impositam. Dixi tamen *peruicacem*: cum enim constat, aut probabile est, non esse pertinaciam, sed talem hominem errare ex ignorantia, non est statim denunciandus, sed est semel admonendus: quæ admonitionem si spernit, iam visus est pertinax, & denunciandus, de qua denunciatione differit doctè Alphons de Castro 6. lib. de hæreticorum punitione, cap. 25. Idem credo dicendum de eo, qui facit actum contra fidem, tamen probabile est metu, vel alia passione fecisse, mentem tamen retinere sanam: talis enim nõ est denunciandus statim absque admonitione, in qua ipsius mens consistit.

simi-



similiter quando firmiter credit aliquis sua admonitione corrigendum, vt habet S. Thom. 2. 2. quæst. 35. art. 7. & Dur. 4. dist. 19. quæst. 4.

Secundæ personæ sunt Inquisitores, vel substituti ab ipsis, aut ab Episcopo, vel ad executionem inquisitionis. Tales enim, cum contra conscientiam, vel iustitiam imponunt labem hæresis alicui, quam non habent; vel omittunt procedere contra aliquem, contra quem verè est procedendum; & hoc, vel odio, vel amore, vel alicuius spe lucri, ipso facto sunt excommunicati tali excommunicatione, vt eius absolutio ad solum spectet Papam, quod quidem habetur in Clementina, cap. multorum, de hæreticis.

Tertiæ personæ sunt Iudices, Domini, Potestates, Balliui, & alij huiusmodi rectores locorum, prouinciarum, vel similium: hi enim incurrunt excommunicationem latae sententiæ, ob vnam harum causarum.

Prima est, cum requisiti ab Inquisitoribus, vel Episcopo circa inuestigationem, vel custodiam sufficientem hæretici alicuius, non obediunt illi.

Secundo, cum requisiti ab eisdem Inquisitoribus, non tradunt ad carcerem ab eisdem deputatum.

Tertio, cum hæreticos, ipsis tamquam brachio sæculari relictos, non statim debita puniunt pœna, non obstantibus ipsorum hæreticorum appellationibus.

Quarto, cum captos hæreticos absq; Inquisitorum, vel Episcoporum licentia, è carcere liberant.

Quinto, cum se immiscent ad cognoscendum de causis hæreticorum.

Sexto, cum directè, vel indirectè impediunt processum, vel sententiam contra hæreticos.

Septimo, cum se opponunt Inquisitori, vel Episcopo in causa hæreticorum, ipsos impediens. Hæc excommunicatio habetur cap. vt inquisitio. de hæreticis in 6. & est Episcopalis; dum modo tales potestates non hoc faciant in hæreticorum defensionem formaliter, id est, vt hæretici sunt: tunc enim tenentur fautores hæreticorum excommunicati in Cœna Domini.

Quartum genus personarum sunt hi, qui consilium, vel auxilium dant huiusmodi Potestatibus, & Dominis ad tales actus, & est similis excommunicatio, & in eodem cap. continetur, & eodem est modo intelligenda; dum modo non id fa-



ciant gratia hæresis, aliàs sunt in Cœna Domini excommunicati. Notandum tamen est, quòd Episcopi non incurunt excommunicationem scientes, sicuti Inquisitores, & substituti ab ipsis, sed manent suspensi per tres annos, vt in eodem capite habetur.

*De apostasia, & infidelitate.*

CAPVT VI.

**A**lterum peccatum contra fidem est Apostasia, quæ sic describi posse videtur *Est error hominis baptizati, fidei catholice ex toto contrarius.* In qua quidem descriptione quatuor sunt partes.

Prima est, *error*, id est, existimatio veri pro falso, aut falsi pro vero: vbi enim non est talis error intellectu, sicut non est hæresis, vt supra diximus, ita nec apostasia.

Secunda est, *hominis baptizati.* Nullus enim non baptizatus quamuis erret, dicitur apostata, sic nec hæreticus.

Tertia est, *fidei contrarius*: non enim quicumq; error est apostasia, sed ille, qui est contrarius fidei Christianæ, puta, cum quis existimat eam esse falsam, aut pro vera recipit sectam contrariam fidei.

Quarta pars est, *ex toto*: in hac enim parte differt apostasia ab hæresi. Hæresis est error contrarius fidei, non quidem toti fidei Christianæ, sed vni, aut aliquibus articulis fidei: ac apostasia est error toti fidei contrarius, vt, cum quis negat Christum & conuertitur ad sectam aliquam infidelium, vel manet ad seipsum vlla fide, & secta talis dicitur apostata. Vnde apparet esse grauius crimen & peccatum, quam sit hæresis. Ex his igitur apparet, quid sit apostasia, & apostata. Dicitur autem apostasia, quæ retrocessio, & apostata, quasi retrocedens, seu deserens. Vnde, merito, qui fidem, quam habebat, & per baptismum professus erat, abiicit, dicitur apostata. Soleat etiam Doctores, eum, qui obedientiam Ecclesiæ deserit, appellare apostatam, qui idem est cum schismatico; & qui clericatum similiter deserit, quem professus est: similiter qui deserit religionem. Sed tales apostasiæ non sunt contra fidem, ob id ad locum præsentem non spectant: dicemus inferius, in primo, vel in secundo mandato Decalogi.

Apostasia, sicut & hæresis, tripliciter committitur.

Vno



Vno modo, tantum in corde, & interius, cum quis deserit mente fidem Christianam, nullum tamen actum exteriorem emittit contra fidem, nec verbo, nec nutu, nec opere.

Secundo, tantum exteriùs, cum quis mente retineat Christianam fidem, metu, vel alia passione aliqua facit aliquid contra Christianam religionem, vt circumcidi, adorare idola, approbare verbo, vel scripto, vel nutu sectam infidelium, vel aliquid simile.

Tertio modo, interius & exteriùs, cum non solum actu exteriori sectam profiteretur contra fidem, sed nec interius eam retinuit, abiicitq; fidem. Hæc tria peccata sunt grauissima mortalia, tamen cum differentia. Primum enim, tantum interius, nulli substat censura, nec excommunicationi, & potest absolui à proprio Confessario. Tertium non cuiuscumq; subiacet excommunicationi, sed Cœnæ Domini. Est enim apostata sub hæretico inclusus, quantum ad pœnas omnes iuris, vt tenet communis opinio. Innoc. cap. i. de apostasia, & Hostien. ibid. & Syl. ver. Apostasia, § 2. Vnde, nomine hæretici includitur apostota, quamuis non è contra; cuius absolutio est, sicut de hæretico, vt superius diximus. At secundum, tantum exteriùs, nulli substat excommunicationi in foro interiori, licet substat in foro exteriori, quia reputatur pro apostata etiam inferiori. Nec in hoc est audiendus Caietanus, vt supra etiam diximus de hæretico.

Reducitur etiam ad apostasiam dubium voluntarium contra fidem Christianam, sicut dubium de vno, vel pluribus articulis fidei reducitur ad hæresim. Iuxta enim ea, quæ diximus de hæresi, oportet procedere in his, quæ diximus de apostasia modo proportionali.

Post apostasiam tertium peccatum contra fidem est infidelitas, quæ sic describi potest: *Est error hominis non baptizati fidei catholice, siue ex toto, siue ex parte contrarius.* Infidelitas enim concludit hæresim, & apostasiam; in hoc differens ab eis, quod infidelitas est error hominis, qui nunquam baptismum suscepit: talis enim, siue erret in tota nostra fide, quia abiicit Christum, vel tener aliquid contra Christum, siue erret in parte, quia aliquos recipit articulos, aliquos non, dicitur infidelis, & ipsius error dicitur infidelitas. Notandum tamen, quod omnis talis error non est peccatum, nisi in duobus casibus.

Vnus est, cum talis infidelis sufficientem habet notitiam

fidei



fidei Christiana: qui enim eam haberet, & adhuc in suo per-  
steret errore, mortaliter peccaret. Vnde isti nostri Iudaei & in-  
fideles, qui prope nos sunt, qui de nostra religione notitiam  
habent magnam, non excusantur à peccato in suo errore. Quod  
verò nullam penitus notitiam habent, etsi aliquid teneant con-  
tra fidem, ut Deum non esse tres personas, Deum non esse in-  
carnatum, non peccant.

Alter casus est, cū ratione naturali tenere possunt id, quod  
nostræ fidei est. Vnde dicti homines infideles, qui plures tenent  
Deos, peccant: nam licet nihil audierint de fide nostra, tamen  
ratio naturalis id probat; licet non sit tam graue peccatum, si-  
cut eius, qui per fidem haberet, vnum Deum esse, & plures co-  
leret. Rursus, qui solem, lunam, & creaturas putant Deos, non  
excusantur, quia quisq; naturali iudicio comperire potest non  
esse. Vnde idololatræ non habent à peccato excusationem, si-  
cut non excusantur etiam à transgressione præceptorum De-  
calogi, quamuis nesciāt esse à Deo, quia etiam naturalia sunt.  
Sufficit hoc de infidelitate, quia tale peccatum ad confessionem  
non spectat.

*De Spe, & peccatis contra Spem.*

CAPVT VII.

**P**ost Fidem, & peccata ipsi opposita, sequitur ut de Spe, &  
peccatis ipsi oppositis agam.

Primum autem, quid sit Spes, examinandum est. Spes  
igitur, ut ad præsens pertinet, est inclinatio ad futuram beatitudi-  
nem Dei auxilia consequendam. In declarationem aduerte, in Spe  
communiter loquendo, duo considerari.

Vnum est actus ipse, quo quis dicitur sperare, & hic non est  
alius, quam voluntatis, vel appetitus quædam inclinatio, seu  
propensio in aliud. Est enim superare operatio voluntatis, vel  
appetitus. Alterum est obiectum ipsum, id est, id quod spera-  
mus, hoc autem est bonum: speramus enim bona, non tamen  
quæcumq; sed cum triplici conditione.

Prima est, ut bonum, quod speramus, non sit præsens, sed  
futurum: quæ enim habemus, non speramus.

Rursus secunda, ut sit arduum ad consequendum. Bona e-  
nim futura, sed absque arduitate & difficultate non speramus  
sed desideramus. Sunt enim tres actus voluntatis, seu appeti-  
tus,



tus, qui in bonum ferunt, amor, desiderium, spes, sed cum differentia. Amor fertur in bonum secundum se, siue præsens sit, siue absens. Desiderium in bonum futurum, & absens, sed absq; difficultate. At spes in bonum absens difficile. Cum amore igitur conuenit in eo, quod in bonum fertur; sed differt in eo, quod in absens, & nondum habitum fertur. Cum desiderio autem in eo conuenit, quod in bonum nondum habitum fertur; sed differt, quia circa difficile versatur.

Tertia conditio, vt sit bonum possibile obtineri: quæ enim nullo modo posse consequi scimus, non speramus. Est igitur spes, quæ voluntas, vel appetitus fertur in bonum aliquod difficile, quod tamen obtineri potest. Applicemus igitur ista speci Christianæ, quæ est voluntatis inclinatio, & propensio in quoddam bonum nondum habitum, pura, beatitudinem, quæ est Dei fruitio, quæ quidem, cum sit finis noster vltimus, & supernaturalis, bonum est difficile, & arduum ad consequendum; est tamen obrinendum, cum Dei auxilio, & fauore. Sperare igitur tale bonum, Dei fauore, & auxilio, est quod facit spes nostra. Hinc sequitur, spem hanc nostram esse in voluntate: nam inclinari in bonum tale, non est intellectus, sed voluntatis. Ob id, spes est virtus in voluntate existens. Rursus sequitur, spem supponere fidem, quæ est in intellectu: si enim non credimus esse beatitudinem ex diuino auxilio consequendam, non vtiq; speramus. Rursus etiam sequitur, spem esse virtutem Theologicam, nam versatur circa Deum, quæ est nostra beatitudo. Virtus autem, quæ est circa Deum, Theologica dicitur. Ex his patet, quid spes sit. Nunc autem de peccatis contra ipsam tractemus, quæ duo sunt, Desperatio, & Præsumptio.

Dicamus primò de desperatione.

Desperatio est quidam voluntatis recessus à beatitudine futura: vt enim spes inclinat, ita desperatio auerit voluntatē à tali bono, quæ quidem desperatio aliquando est cum hæresi & amissione fidei, aliquando autem est cum fide: potest enim perdi spes, manente fide. Vt autem hoc cognoscatur, examinandus est actus intellectus, vnde procedit illa desperatio: si enim est error contra fidem, amittitur etiam fides, & est duplex peccatum: si verò non, manet fides, & est vnum peccatum desperationis. Verbi gratia, si quis desperat, quia non putat esse beatitudinem, est tunc etiam hæreticus, & perdit fidem: similiter si desperat, quia putat Deum non solere parcere pec-

cata,



cata, aut quia putat non posse parcere ipsius peccata, tunc etiam errat contra fidem. At verò si non est talis error contra fidem, non perditur fides, ut, si desperat, quia putat Deum ipsi non parciturum, aut se nunquam benefacturum: non enim est hæreticum, & contra fidem, putare, & dicere, Deus non parceret mihi: ego non faciam bona opera: utroque modo, desperatio est peccatum mortale, tamen multò grauius, cum fides perditur simul cum spe, quia iam est nouum peccatum hæresis, præter desperationem. Desperatio autem ipsa sola minus est peccatum, quàm hæresis, licet sit periculiosior: cuius rationem dat S. Thomas 2, 2. quæst. 21. nam fides versatur erga Deum secundum se, quia credit esse veracem: vnde hæresis opposita lædit Deum secundum seipsum: spes verò versatur erga Deum, non secundum se, sed prout à nobis est per beatitudinem habendus: vnde desperatio lædit Deum in ordine ad nos consideratum, quod minus graue est, quàm lædere Deum secundum se: at periculosius est, quia homo desperans in plura crimina prorumpit, quàm hæreticus, quia nullo fitur fræno.

Præsumptio autem peccatum est, non tamen sicut desperatio: hæc enim desperatio auertit à beatitudine, & à bono sperato hominem, ut dictum est: at præsumptio inclinatur in beatitudinem, sed non eo modo, quo speranda est. Sperari enim debet beatitudo, non per nostras vires naturales solas, sed Dei auxilio consequenda: vnde duplex est præsumptio.

Vna, qua quis vult beatitudinem, tamquam debitam suis naturalibus meritis, absque Dei gratia, & suis viribus consequendam, ut qui sperat beatitudinem, quia doctus est, vel quia nobilis, vel quia potens, vel ob aliam naturalem dotem habendam.

Altera est præsumptio, qua quis vult beatitudinem sola diuina misericordia consequendam, absque suo vllò bono opere, & cooperatione, cum tamen non sit, nisi diuina misericordia & auxilio, nobis cooperantibus, obtinenda. Vtraque præsumptio est peccatum mortale, grauius tamen est ista posterior: cuius rationem dat S. Tho. loco allegato: nam ista præsumptio facit Deum iniustum, qui absque vllò bono opere nostro vult nos saluare, & non habere rationem mali operis. At prior præsumptio facit hominem maiorem quàm sit, minus autem malum est, se maiorem quàm sit facere, quàm Deum minorem quàm sit facere. Vtraque autem præsum-



prio aliquando est cum heresi, si error intellectus accedat. Unde, qui vellet beatitudinem per solam Dei misericordiam, absq; suo bono opere simul, & existimaret intellectu beatitudinem sic esse habendam, esset non solum præsumptuosus, sed hæreticus, quales sunt modo Lutherani. Rursus, qui proprijs meritis, absq; Dei gratia, vellet beatitudinem, & sic iudicaret esse habendam, esset hæreticus, quales fuerunt Pelagianistis tamē peiores sunt Lutherani, ob causam dictam. Cum verò non est talis error contra fidem in intellectu, sed iudiciū, quo videtur sibi Deus sic cum ipso facturus, solum est præsumptuosus, non hæreticus; peccatum tamen est mortale. Et hæc sunt contra spem peccata.

*Quid sit Charitas, & quàm necessaria sit.*

## CAPUT VIII.

Post Fidem, & Spem, de Charitate est agendum. Sic autem defini posse videtur, *Charitas est amicitia hominis ad Deum supernaturalis.*

In qua definitione tres sunt partes.

Prima est, *Amicitia*. Est autem aduertendum, ad amicitiam quatuor esse necessaria.

Primum est, ut sit amor Dei; ubi enim nullus amatur, nulla est amicitia.

Secundò, ut sit amor benevolentia. Est amor benevolentia, quo bonum volumus alicui. Velle enim sibi, vel alteri bonum ali quod, est amare se, vel alterum amore benevolentia: ipsam verò bonum, quod est volitum, dicitur amatum amore concupiscentia: ut igitur sit amicitia, debet esse amor benevolentia, quo alicui bonum quis velit.

Tertiò, ut sit amor mutuus, quo sic amat aliquem, ut redatur: alias enim amor non tenet rationem amicitia, cum unus est, nec redamantem habet.

Quartò, ut sit aliqua conuersatio inter se mutuò amātes: vtrum nullum colloquiū mutuum, nec conuersatio vlla, nec quid vtriq; cōmune, non est amicitia. Ista quatuor in Charitate sunt, ob id Charitas amicitia dicitur.

Secunda pars est, *Hominis ad Deum*. Non enim quælibet

amicia



amicitia Charitas est, sed quæ est hominis ad Deum ipsum: intercedunt enim ista quatuor prædicta.

Primò quidem, Deum homo amat.

Secundò, amat amore beneuolentia: vult enim Deo bonum. Dices, quod bonum homo Deo vult? Dico duplex esse tale bonum: Quod in ipso est, putà cum volumus esse iustum, sicut est; bonum, sicut est; potentem, sicut est, & alia. Alterum est externum, putà, cum volumus suam voluntatem in omnibus rebus impleri; omnes ad ipsum conuerti; & suum nomen semper exaltari. Ista talia ipsi vult, qui cum Charitate diligit.

Tertius est mutuus amor: non enim homo Deum diligit, quasi ob hoc à Deo diligatur. Immò Deus est, qui prior diligit nos, & cuius amor est nostri amoris causa. Est autem discriminandum inter amorem Dei, & nostrum versus ipsum. Non enim ei volumus bonum, sed non damus ei tale bonum, quod ei volumus: nec enim iustum, vel bonum, vel quid tale ipsum facimus: nec similiter absq; ipso bona externa ei dari possunt: at ipse suo amore dat bonum; quod amando vult, dumque amat, bonos nos, & amabiles facit. Sicut, si aliquis oculus esset, qui, quò se conuertit, colores dat corporibus, quibus videri possint: talis enim visibilia corpora facit, vt videt. Sic est amor diuinus.

Quartò, est mutua conuersatio, in eo quidem, quòd ipse est finis nostri, nos autem ad ipsum tendimus. In eo etiam, quòd ipse suam naturam nobis manifestauit, & suam voluntatem, nos verò, quæ vult, implemus. Ob quam conuersationem dixit Christus Ioann. 15. *Non dicam vos iam seruos, sed amicos: quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Rectè igitur dicitur Charitas amicitia hominis ad Deum: est enim amor amicitia.

Tertia pars est, *supernaturalis*, Deus enim dupliciter ad hominem comparatur.

Vno modo, sicut finis naturalis, ad quem est factus, sicut etiam alia res omnes sunt propter Deum factæ, & ex hac parte homo debet amorem naturalem Deo, cui cuncta suo modo debent.

Altero modo comparatur, vt finis supernaturalis habendus ab homine per visionem & fruitionem. Sic igitur Deum amare, Charitatis est, ob id dicitur amicitia supernaturalis. Similiter etiam, quia talis amor est tam eleuatus, vt nullus cum

possit



possit habere, absq; auxilio Dei supernaturali. Est igitur Charitas amicitia hominis, seu creaturae rationalis (ut etiam comprehendatur Angelus) ad Deum. Charitas enim necessaria est maxime ad duo.

Primum, ad finem: nullus enim intrare potest in regnum caeleste sine Charitate, quae vestis est nuptialis: unde prima Io. 3. dicitur, *qui non diligit, manet in morte*, Est autem necessaria, ut opera nostra bona efficiantur meritoria vitae aeternae. Sine charitate nullum est opus ita bonum, quod dignum sit vita aeterna. Unde I. Corinth. 13. dicitur, *si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*. Charitas enim est, quae bona opera facit meritoria vitae aeternae. Non tamen ob id, qui in peccato mortali est, deserere debet omnia bona opera moralia, licet per ea non mereatur vitam aeternam. Profunt enim ad multa.

Primum quidem, ut homo minus peccet, minusq; Deo displiceat, & propterea minus puniatur.

Secundo, ut consequatur à Deo bona temporalia, sanitatem, honorem, diuitias, filios, & alia, quamuis haec non mereatur, sed solum est quaedam congruentia diuina, qua Deus secundum suam bonitatem non despicit vllum bonum opus.

Tertio, ut citò etiam ad Dominum conuertatur, & à peccato liberetur.

Quarto, ut homo sit assuetus bonis operibus, ut cum post ad charitatem peruenit, non tantam in bono agendo difficultatem pariat.

Quinto, ut in gloria postea existens, si per poenitentiam conuertatur, gaudeat in aeternum de tali bono opere. Vtilia igitur sunt talia opera, vtiliora tamen per charitatem.

### De peccatis contra Charitatem.

#### CAPVT IX.

Quatuor sunt praecipue peccata, quae Charitati per se formaliter opponuntur.

Primum est contra ipsius substantiam, & hoc est odium omnium peccatorum grauisimum. In cuius declarationem aduerte, Deum dupliciter considerari posse,

Uno modo, secundum se, ut est quoddam bonum infinitum,

Cg tum,



tum, & sic à nullo potest odio haberi, quia nulla in eo inest mali species.

Altero modo, ratione alicuius effectus, puta vt castigat & punit, vt aliquando pœnam infligi, & sic potest odio haberi, & habetur aliquando. Pueri enim odio habent magistrum ratione, qua ab ipso plagis afficiuntur, licet secundum seipsum odio non haberent. Cum igitur quis in tantum malum prorumpit, vt Deum considerans sibi aliquid mali pœnæ infligere, ipsi malum vult, talis odio habet Deum, & odium hoc peccatum est mortale grauissimum omnium, vt potest contrarium summæ omnium virtuti, quæ Charitas est.

Alterum peccatum est oppositum Charitati, cum quis amat quidem Deum, sed non eo modo, quo amandus est. In cuius gratiam aduertere, Deum amandum esse propter seipsum, quia bonus est, & amore dignus, non autem præcipue propter aliquod creatum, nec propter beatitudinem, nec propter aliud bonum, quod ab ipso speramus. Est enim Charitas amicitia honesta, qua amicus amatur propter se: cum enim propter aliud amatur, non est vera amicitia: vnde Arist. 16. Ethicorum, senes, & iuuenes docet non habere veras amicitias. Senes enim amant ob suam vtilitatem, iuuenes ob suam delectationem, quibus cessantibus, cessat amicitia. At vera amicitia est propter se: tali enim amicitia est Deus amandus. Cum igitur Deus amatur propter aliud præcipue, talis amor peccatum est mortale, contra Charitatis modum. Dixi autem, præcipue, quia Deus potest amari etiam propter retributiones, sed minus principaliter. Cum sic amatur ob eas, vt quamuis non essent illæ retributiones, adhuc tamen Deus amaretur, talis amor bonus est. Sic enim dicit David: *Inclinavi cor meum, ad faciendâs supplicationes tuas, propter retributionem.* At verò cum quis sic amat, vt finem in alio ponat, puta, tota causa amandi est bonum speratum, nec amaret Deum, si illud non esset, peccatum est. Non igitur in Deum affectio ponenda est sic, bonum aliud à Deo respiciendo.

Tertium peccatum est circa quantitatem, cum non amamus, quantum debemus. Debemus autem amare Deum supra omnia, vt nihil plus aestimemus, quam Deum, nec etiam nos ipsos. Cum igitur aliquis sic amat aliquid, vt plus velit ipsum, quam Deum, & vellet priuari potius Deo, quam tali re temporali, talis affectus est peccatum mortale; Deus enim est omnibus rebus anteponendus.

Aduer-



Aduertendum tamen est, duplicem esse quantitatem in dilectione & amore.

Vna dicitur intensiōnis, quæ consistit in feruore, & vehementia quadam ipsius actus.

Altera est appretiatiōnis, quæ consistit in eo, quod amatū pluribus, vel paucioribus præfertur in ipso amore; & hoc dicitur plus amari quantum ad appretiatiōnem. Has duas quantitates inæquales aliquando experimur in patribus erga filios. Solent enim maiori intensiōne amare natos minimos, quia feruentius, & vehementiori conatu ipsos diligunt, quam nati maiores, & primogenitos; sed multo magis appretiānt ipsos maiores, & primogenitos: cuius signum est, quod si priuandi essent vno filiorum, potius vellent minori, quam primogenito priuari. Deus a nobis supra omnia amandus est, quantum ad appretiatiōnem, & intensiōnem, sed non eodem modo.

Nam quantum ad appretiatiōnem, obligamur amare ipsum plus omnibus, sub mortali peccato: ipse enim omnibus præferendus est. Nec opus est facere ipsas appretiatiōnes in particulari, scilicet, plus velle mori, pati hoc, vel aliud, quam Deum offendere: sunt enim periculosæ, & potius virorum perfectorum: sed cum faciendæ sunt, Deus est præferendus omnibus, nihilque ipsi præferendum. Quantum ad intensiōnem verò, non tenemur sub præcepto ipsum plus diligere; imò aliquando feruentius amamus res sensibiles, & creaturas. Sanctissimū tamen est Deum etiam summa intensiōne diligere, cum omni sit amore dignissimus.

Quartum peccatum contra Charitatem est ratione temporis, cum non diligimus Deum, quando diligendus est. Est autem aduertendum inter præcepta affirmatiua, & negatiua, quantum ad tēporis obligatiōnem, hoc esse discrimen, quod negatiua omni tempore obligant: omni enim tempore tenemur non occidere, non furari, non mœchari. Affirmatiua verò non obligant omni tempore, sed quando oportet, vt suis locis dicemus. Præceptum igitur diligendi Deum, cum affirmatiuum est, non omni tempore obligat: tunc enim oportet perpetuo actu, absque intermissione diligere, quod in ista vita impleri non potest: non igitur obligat, nisi certis temporibus.

Primum est, in quo oēs obligantur, siue sint in gratia, siue extra gratiam, cum primū ad annos discretiōnis peruenerint, tunc possunt de actibus suis deliberare, ipsosque ordinare,



tunc tenentur actu se, & omnia sua dirigere in finem vitium, qui est Deus: Christiani quidem in Deum, vt in finem spiritualem: alij in Deum, saltem vt finem naturam. Quæ ordiatio non fit, nisi per actum charitatis, quo Deum omnibus proponunt: & oppositum facere committendo, aut omitendo, est peccatum mortale contra istud præceptum diligendi: cuius hoc probabile sit, & non omnibus receptum, licet non sit ita facere.

Secundum tempus est, in quo homines obligantur solum, quando mortalis peccati conscientia est, puta quando tenentur habere cõtritionem de peccato suo, quod maxime fit, cum est mortis periculum, & cum sunt administraturi sacramenta aliquod, vel aliquid facturi. quod non debet fieri absq; gratia, vt cantare Euangelium, epistolam in altari. In his casibus, deficiente copia Confessariorum, opus est ad contritionem confugere, quæ non habetur sine Dei dilectione. In hoc tempore omnes conueniunt.

Tertium ponit Soto lib. 2. de iustitia & iure q. 3. art. 10. quando aliquis recipit aliquod notabile beneficium à Deo, vel liberatur ab aliquo grauissimo malo, vel quando incepturus est aliquod opus arduum, quod multum indiget gratia, tunc tenentur, si in conscientia peccati est, conteri, & conuerti ad Deum per dilectionem: hoc profecto videtur probabile; & saluberrimum est consilium, frequentes actus dilectionis in Deum ipsum facere. Ista sunt contra charitatem peccata. Vt tamen intelligas quomodo sunt omnia hæc contra charitatem. Aduerte, dupliciter contingere Deum diligere.

Vno modo, quantum ad actum amoris, puta, cum ipsum amamus.

Altero modo, quantum ad executionem operum, id est, quæ ipse vult, facimus. Mandata enim Dei seruire & implere, est ipsum diligere. Si primo modo sumatur dilectio & charitas, sic quatuor prædicta peccata sunt contra charitatem: si autem contra obseruationem præceptorum, quæ dicitur charitas & dilectio, quantum ad executionem, & effectum, tunc omnia peccata sunt contra charitatem posteriori modo.



De amplitudine Charitatis, quæ est erga  
proximum.

## CAPVT X.

**I**sta charitas non solum erga Deum est, sed etiam propter ipsum erga proximum. Omnis autem ille dicitur proximus noster, qui nobiscum potest esse particeps eiusdem finis & beatitudinis, qualis est omnis homo in hac vita degens, siue fidelis, siue infidelis sit; siue iustus, siue peccator; siue amicus, siue inimicus: omnes enim hi, diuina gratia, ordinati sunt ad æternam beatitudinem, nisi culpa sua amiserint. Omnes igitur hi diligendi sunt ex charitate. Sunt autem diligendi, quantum ad quatuor.

Primum & præcipuum est, quantum ad finem vltimum. Debemus enim velle omnibus beatitudinem æternam, ad hunc sensum, vt nullum excludamus ab hac voluntate, nulli velimus beatitudinis priuationem: talis enim voluntas est peccatum mortale contra istud præceptum. Hoc igitur est diligere proximum sicut se, non quidem quantum se; quia plus tenemur nos diligere, sed modo eodem, vt eundem finem, quem nobis volumus, alijs velimus, nullum vnquam excludentes à voluntate ista.

Secundum est, quantum ad bonum spirituale gratiæ, & fidei, vt omnibus velimus, & curemus salutem ipsorum spirituales. Quod quidem per dicta tria hæc intelligitur.

Primo, si quis proximus est in necessitate extrema constitutus, vel probabiliter vergit in extremam necessitatem fidei, aut gratiæ spirituales, qui libet tenetur ei succurrere, etiam cum dispendio vitæ propriæ temporalis, si sibi probabile est profuturum. Verbi gratia, est aliquis in mortis articulo, quæ probabiliter scio non habere contritionem, nec esse confessum, tamen Sacerdos abest, solus ego illic adsum, cognosco illum probabiliter confessurum, & saltem illum atterendum, teneo illum audire, etiam cum periculo vitæ meæ temporalis, puta, si forte inimici insequuntur, quia tempus est belli, vel si forte ille laborat peste, vnde contraham, si accessero, vel si alicui inest periculum. Rursus, est aliquis inter hæreticos, vel infideles, qui in suo errore est, quia non habet docentem veritatem, si alicui sit probabile profuturum, si necessitas sit extrema, quia est summa docentium inopia, tenetur etiam cum



vita: periculo docere. Rursus, si scio mea correptione profuturum alicui, vt à peccato diuturno liberetur, nec sunt alij, qui faciant, aut velint facere, teneor corrigere, non obstante periculo vita: Per hos, facile est de alijs casibus iudicare.

Secundò, extra extremam necessitatem, si quis sine detrimento vita:, honoris, aut rei, aut cum paruo detrimento potest alium iuuare, tenetur sub mortali: si verò absque notabili prædictorum detrimento non potest, non tenetur. Verbi gratia, est homo diues in ciuitate, qui scit aliquem pauperem ob inopiam velle exponere filias, si ipse potest absque detrimento notabili subuenire, tenetur sub mortali, licet alij diuites sint in ciuitate eadem, qui possint id facere. Si tamen non potest sine graui detrimento familia: suæ, non tenetur, nisi sit extrema necessitas; vt si illi constaret, nullum alium velle succurrere, & iam illum patrem omninò propensum ad exponendas filias: tunc enim tenetur etiam cum notabili detrimento succurrere.

Tertiò, quibus ex officio incumbit saluti speciali aliorum providere, quales Curati, & Episcopi, & pastores sunt, tenentur cum periculo vita:, etiam extra extremam necessitatem succurrere; & non solum hoc, sed etiam inquirere eos, qui in suo grege similibus necessitatibus laborant. Alij enim, quibus ex officio non incumbit, non tenentur inquirere, sed oblati necessitatibus succurrere: vnde curatus tempore pestis non potest fugere, & relinquere oues absque sacramentis, licet se seipse peste inficiendum: & Episcopus tempore etiam hæresis non potest fugere, & relinquere oues decipi, sed ponere animam pro ouibus, nisi in vtroque casu alia ratione sufficienter ouibus prouideretur aliorum ministerio, &c. Ita igitur intelligendum est illud secundum, quod diximus erga modum, quo diligendus est proximus. Tertium est, quantum ad vitam temporalem, vt non solum velimus vitam, sed etiam curemus: quod ita explicandum est.

Primo, si quis est in extrema necessitate vita: temporalis constitutus, & alius potest cum dispendio rei temporalis etiã graui, succurrere, tenetur sub mortali succurrere: v. g. si quis inter infideles esset occidendus, quia non reddit centum aureos, si quis adsit, qui eos possit dare, tenetur dare, vel gratis, vel mutuo, vt ipsum liberet à morte temporali.

Secundò, extra necessitatem extremam, si quis potest sine notabili detrimento succurrere ipsorum necessitatibus, tene-

tur,



tur, & in hoc casu est præceptum de elemosyna. Cum notabili verò detrimento non teneatur, putà, non debet statum suum mutare, nec convenientem familiam amittere.

Tertio, vitam alterius temporalem non teneretur saluare cum dispendio propriæ vitæ; si tamen velit, potest, & est actus bonus, & meritorius: v. g. Sunt duo in mari, vnus est absque tabula, vnde necesse est submergi, alter habet, potest hic dare alteri, sed non teneretur. Idem in extrema cibi necessitate duorum vno habente cibum, potest hic alteri dare.

Rursus, periculo imminente vni duorum potest vnus illud subire, vt alter saluetur. Aduertendum tamen est in hoc casu, quòd cum talis persona est multæ utilitatis erga rempublicam, vel erga familiam, alter verò non est, non licet illi ita valem vitam commutare pro homine inutili, nisi fortè talis inutilis versetur in periculo æternæ dānationis. Liceret enim in tali casu vitam commutare propriam pro illius vita, ne in æternum periret; si tamen esset probabilitas emendationis & respicientiæ talis hominis.

Quartum est, quantum ad officia communia, quæ alijs hominibus exhibentur: dicitur hoc inaximè propter inimicos, quibus non sunt subtrahenda beneficia communia. Voco autem communia ea, quæ multis exhibentur propter causam aliquam in eis contentam, putà, quia pauperes, quia homines, quia consanguinei, &c. Cum igitur inimicus in eadem ratione conuenit, non sunt ei subtrahenda communia beneficia.

Vnde, si quis fundens orationes generales ad Deum pro omnibus, inimicū subtraheret, peccaret. Rursus, si quis in eadē domo manentes alloquitur, si inimicus in eadem domo manet, teneretur alloqui: similiter, si in eodem Collegio. Rursus, si quis elemosynas largitur alicui communitati, non potest absque peccato subtrahere eam inimico. Similiter non salutare, si ante salutabat, aut salutantem resalutare. Ista, & similia communia beneficia non sunt subtrahenda: liceret tamen in vno casu subtrahere, dummodò scandalum non esset, putà, si ex ta subractione speretur probabiliter inimici correctio, & respicientia spiritualis. Particularia autem beneficia, qualia sunt, quæ amicis solent exhiberi, vt familiares colloquutiones, non teneretur homo inimicis exhibere, quamuis ante exhibuisset, dummodò tamen non sequatur scandalum. Rursus, teneretur homo officia illa etiā inimicis exhibere, quæ sunt secundū quandā iustitiam. Pater enim filijs debet sua officia ex-



hibere, & filij reuerentiam patribus, quamuis intercedat inimicitia. Similiter serui dominis, & domini seruis: maiores inferioribus, & e contra. Aliquando tamen licet ex parte superiorum, patrum, dominorum, negare sua officia ad tempus inferioribus, in pœnam peccati eorum; potestq; pater filium inobedientem, vel qui commisit aliquid in ipsum, domo expellere ad tempus, in pœnam; dummodò malum spirituale non sequatur, vel alia grauia mala, aut scandalum. Rursus, omnes tenentur inimicis iniuriam remittere quantum ad odiũ & voluntatem mali; sed non tenentur remittere debitam satisfactionem: immò aliquando melius est remittere. Vnde vidua pauper, filios habens, quos sustentare non valet, non tenetur viro homicidæ remittere, nisi iustum alimentum subministrat, cum possit. Similiter cum homicida litigans, quia homo ille est iniquus, non tenetur desistere à causa; immò ipsam sequi, donec suspendatur; deposito tamen odio ipsius personæ, & solum ob iustitiæ zelum. In componendis igitur pacibus, & litibus odij depositio curanda est, sed non est petenda satisfactionis remissio, nisi iusta sit.

*De modis, quibus proximo possumus velle malum temporale, & de schismate.*

CAPVT XI.

**Q**uamuis vnusquisque teneatur proximum diligere, nulli malum volendo, vt dictum est; sunt tamen aliqui casus, in quibus licet malum velle, seu odio habere aliquem.

Quorum primus est, ratione ipsorum peccatorum: Licet enim odio habere aliquos, ratione iniquitatis, iuxta illud psal-  
mi: *Iniquos odio habui.*

Secundus est: Licet etiam velle, & desiderare malum temporale alicui, solum ob spirituale emendationem ipsius, vt si quis esset superbus, & incorrigibilis, liceret desiderare illi infirmitatem, vel pecuniarum amissionem, vel aliud malum temporale, per quod probabiliter sperari possit ipsius correctio.

Tertius est, ob bonum spirituale contritionis, & aliorum: Licet enim hæreticis alios peruertentibus, & incorrigibili-



bus desiderare mortem temporalem à Domino, vt de medio collantur, ne alios perdant secum.

Quartus est, ob iustitiam: licet enim peruersis hominibus comprehensis à Iudice desiderare suspensionem, ob zelum iustitiæ; & vt à Iudice comprehendantur, & castigentur, vt compleatur iustitia. In omnibus his casibus, semper obseruandum est, ne desiderium hoc mali sit ob ipsam personam: tunc enim malum esset contra proximi dilectionem: bonum est, si tantum sit propter prædictos fines. Contra hanc charitatem proximi vnum est peccatum, putà scandalum, de quo inferius discutiemus: nunc tantum de schismate dicendum est.

Est autem schisma contra charitatem, qua parte est vnio fidelium inter se in ordine ad vnum caput. Est enim amoris, & charitatis vnire voluntates aliàs diuersas. Schisma igitur, vt ad præsens spectat, est rebellis, & spontanea separatio ab vnitate Ecclesiæ. Cum enim quis non vult obedire Ecclesiæ, aut Pontifici, spontanea rebellionem, dicitur schismaticus, & tale peccatum schisma est, quasi scindens, & diuidens homines à communione charitatis.

Schisma, vt hæresis, aliquando interiùs committitur, absq; opere exteriori, aut verbo, & tunc peccatum mortale est, sed nulli censuræ subditum.

Aliquando interiùs, simul & exteriori est: & aduerte, quòd aliquando est cum hæresi, aliquando sine illa. Cum enim est error in intellectu contra fidem, est hæresis, & schisma, vt qui se separat ab obedientia Papæ, quia non credit eius potestatem, talis schismaticus reputatur pro hæretico, & eisdem substat poenis.

Aliquando tamen est schisma, cum non est talis error in intellectu, vt, qui credens quidem potestatem Papæ, tamen passione aliqua motus ab illius obedientia se subtrahit, iste est ipse schismaticus: nam schisma est contra vnitatem charitatis, non contra fidem, & tale schisma substat excommunicationi Papali, non quidem in Cæna Domini, nisi sit cum hæresi, sed à iure, quod habetur c.

licet, de electionibus, & c. nulli,

dist. 19.



## De primo Decalogi præcepto.

## CAPVT XII.

**A**Ntequam ad singula Decalogi præcepta explicanda descendamus, aliqua sunt notanda.

Primò, ista decem præcepta in duas esse diuisa partes quædam versantur circa diuinum honorem immediate, qualia sunt tria priora, quæ dicuntur primæ tabulæ: quædam circa utilitatem proximi, qualia septem posteriora, quæ dicuntur secundæ tabulæ. Fuerunt enim in duabus tabulis Moysi digito Dei descripta: licet alij plura ponant in prima tabulæ, sed quod diximus videtur probabilius.

Secundò est notandum, omnia, quæ sunt contra aliquod mandatorum horum, esse peccata mortalia, nisi vna eorum causarum excuset: tunc enim erunt tantum venialia. Prima est, leuitas materiæ. Cum enim parua est materia, non est mortale, vnde qui imponit falsum alicui leue, contra præceptum facit, sed ob leuitatem maximam non est mortale. Non tamen leuitas materiæ semper excusat: nam falsum iuramentum, etiam in leui materia, est mortale. Dicemus tamen de hoc in singulis. Secunda est, defectus deliberationis: tunc enim actus dicitur deliberatus, cum in nostra est potestate, vt possumus facere, & non facere. Ista deliberatio plena est necessaria in mortali peccato. Cum autem est semiplena, nec integra, fit veniale: vt, qui alterius vxorem concupiscit, sed motu repentino, & non ex pleno voluntatis consensu. Similiter, qui occidere vult, sed non actu deliberato perfecte. Tertia causa est, defectus pleni vsus rationis, qualis est in semidormientibus, quibus pollutiones accidunt, sed non est perfectus vsus rationis. Similiter in aliquibus infirmitatibus, in quibus homo quando percutit alios, sed quia non est integer vsus rationis, non est mortale. His igitur tribus causis, opus, aut actus contra præceptum solet fieri veniale, cum tamen ex genere mortale sit.

Tertiò est notandum, ista præcepta non obligare homines ad finem præceptorum, qui est Charitas, sed solum ad actum inclusum in præcepto: verb. grat. non occidere, obligat hominem, vt non occidat, non tamen ne occidat ex Charitate. Similiter in alijs omnibus: sicut ieiunium non obligat ad finem qui est maceratio carnis, & eleuatio mentis, sed tantum ad ip-



sum actum : unde impletur præceptum extra Charitatem, licet nõ sit meritoria talis impletio, nisi sit cum Charitate, quæ dicitur finis, & modus præceptorũ. Et hoc est, quod alij dicunt, impleri præceptum posse, quoad substantiam sine Charitate, non tamen quoad modum.

In primo igitur præcepto, quod est, *vnũ: cole Deum*, præcipitur latria, seu adoratio Dei. Pro cuius explicatione aduerte, in adoratione esse tres actus.

Vnus est intellectus, quo cognoscimus excellentiam, & superioritatem alicuius, qui adorandus est.

Secundus est voluntatis, quo nos ei subijcimus, & subster-nimus.

Tertius exterior, quo talem subiectionem significamus, vt genuflexio, capitis nudatio, & similia.

Primus non est adoratio: Dæmones enim cognoscunt Deũ esse supra omnia, non tamen adorant. Est enim talis actus in adoratione necessarius ; quia voluntas non se subdit, nisi excellentiam cognoscat eius, cui se subdit. Secundus est ipsa adoratio, quia est actus religionis. Tertius est effectus adorationis : in tantum enim iste tertius ad adorationem pertinet, in quantum ab interiori procedit, aliàs est illusio, & irrisio. Vt igitur Deus adoretur, iste actus necessarii sunt. Primus est, intellectus, quo debemus Deum cognoscere vt summum Dominum, ac totius esse principium. Secundus voluntatis, quo illi, vt tali, nos debemus subijcere. Tertius est, quo istam prosternationem exprimimus, quod maxime fit per Missæ sacrificium: totus enim populus Christianus missam offert per Sacerdotem: & per sacrificium, quod soli Deo debetur, suam exprimit internam adorationem. Similiter per alias humiliatio-nes exteriores. Sic igitur Deus est adorandus: actus primus est fidei, nec ad hoc pertinet præceptum, sed supponitur: actus secundus est, vera adoratio, & hæc præcipitur: similiter & exterior hunc exprimens, quæ duo ad religionem perti-  
nent. Hoc præcepto, non solum adoratio, sed inuo-  
catio, honor, laus Dei, & alia, quæ ad religi-  
nem spectant, continen-  
tur.



## De blasphemia, &amp; impietate.

## CAPVT XIII.

**N**Vnc de peccatis, quæ contra istud præceptum sunt, agere oportet. Cumque in hoc præcepto Religio Christiana contineatur, peccata contra Religionem sub ista continentur præcepto prohibita: quorum vnum est Blasphemia. Est blasphemia contra Dei laudem, contra S. Thom. 2. 2. q. 13. qui putat contra confessionem fidei esse. Hoc autem notum fiet, si primum, quid laus sit, intelligatur. Laus est manifestatio alicuius excellentiæ cum affectu voluntatis: cum enim excellentias, & perfectiones alicuius notificamus, & dicimus, tunc laudamus ipsum, & notificatur cordis affectio, quæ nos prouocat ad talem notificationem. Est igitur laudare Deum, excellentias, & perfectiones eius manifestare cum voluntatis affectu. Est autem duplex laus, & interior, quæ fit solo corde, quæ à nobis, & ab Angelis fit Deo: & exterior, cum voce profertur: vtraque multipliciter fit.

Primò, per modum enunciationis, cum propositionibus laudamus, dicentes, *Deus magnus, & sanctus, & Dominus.*

Secundò, per modum deprecantis, cum orationes fundimus.

Tertiò, per modum imperatiui, cum dicimus, *Benedictus sis Deus. Gloriæ in excelsis Deo.*

Quartò, per modum admirantis, vt, *Quam admirabile est nomen tuum in vniuersa terra?* His modis contingit laus. Cum huic igitur opponatur blasphemia, hæc erit quædam maledictio contra Deum, ex malo voluntatis affectu. Ille autem dicit malum Deo, qui aufert bonum, quod habet negando; vel imponit malum, quod non habet, affirmando, vt, qui dicit, Deus non est bonus, non iustus est Deus. Fit autem dupliciter, sicut & laus, corde interiori, & oratione etiam exteriori, quæ est consummata blasphemia, & vtroque modo multipliciter fit.

Per modum enunciationis, vt in dictis exemplis.

Per modum detestantis, vt qui dicit, sit Deus maledictus, pereat Deus: & per modum iridentis, vt illi dicebant, *Fab, qui destruis templum Dei.*

Est autem maximè hic aduertendum, dupliciter contingere per blasphemiam Deo maledicere: vno modo formaliter,



cum expresse, & aperte mala damus Deo, vt in omnibus exemplis propositis. Altero modo virtualiter, cum occulte damus Deo malum, licet non id omnino expriment verba, vt, qui dicit, ad despectum, blasphematur, quia facit Deum impotentem: dicit enim se aliquid facturum, velit nolit Deus. Similiter, qui dicit, ad corpus Dei, & *al sanguine de Dio*, vel iniuriose nominat aliquas partes, tunc si per modum spernentis dicat, est blasphematur, quia ponit in Deo ista, tamquam contemptibilia, & vituperatione digna, quod non est. Si tamen dicat tantum per modum iuramenti, non est blasphematur: utroque autem modo, siue formaliter, siue virtualiter, blasphematur est. Ex his ergo facile habetur, quid sit blasphematur, & quot modis contingat.

Circa peccatum autem blasphematur notandum est, non semper esse mortale, quamuis sit ex genere suo: aliquando tamen fit cum aduertentia, & deliberatione, vt cum homo cognoscit, & aduertit esse blasphematur, tamen eam profert. Aliquando fit sine aduertentia, vt, cum homo ira, aliqua, vel alia motus passione, non aduertens verba, quae proferebat, protulit blasphematur. Priori modo est peccatum mortale, posteriori vero non semper, nisi cum homo est assuetus blasphematur, nec vult emendationem. Talis enim peccaret mortaliter tunc quia est in culpa praecedenti, quia non abstulit occasionem peccati. Qui vero non habet talem assuetudinem, vel, si habet, iam emendare se curat, & desiderat, non peccat mortaliter, sed venialiter.

Blasphematur autem aliquando est cum haeresi, aliquando sine haeresi. Quando quis assentit intellectu his, quae corde, vel ore dicit, est haereticus, & blasphematur: vt, si dicens Deum improuidum, ita assentit, haereticus simul est, & tunc incidit in censuras haereticorum, de quibus diximus iam: si vero non ita credit, nec assentit, vt dicit, non enim idem est credere, & dicere, etiam corde, tunc est tantum blasphematur. Quamuis autem blasphematur sit sine haeresi, est tamen horrendum peccatum, adeo vt Dominus dixerit, esse irremissibile, non quod non remittatur, sed quia vix, aut nimis est indignum, vt remittatur: & blasphematur, si sit publica blasphematur, est seuera poenitentia imposita, cap. statuumus, de maleficijs, quae tripliciter

Prima, vt septem diebus dominicis maneat in foribus templi, dum solennia celebrantur; & septima dominica, vt absque

pallio,



pallio, & calceamentis, & cum corrigia in collo.

Secunda, vt septem diebus veneris ieiunet in pane, & aqua, & non intret in Ecclesiam.

Tertia, vt alat tres pauperes singulis illis diebus, & si non potest, saltem duos: aut si non duos, vnum: & si non vnum, saltem in aliam pœnitentiam commutetur: & vltimus, si duos est, soluat quadraginta solidos: si non hoc potest, triginta: si non hæc, viginti: si non, quinque. Vbi vides rigorem iuris ostendere grauitatem peccati. Hoc etiam est officium damentorum, sicut beatorum, laudare semper Deum. Non autem existimes blasphemiam solum esse contra Deum: extenditur etiam ad Sanctos: vt enim laudare sanctos, est virtus, peccatum est & blasphemiam illis malum dicere: vnde eodem modo est mortale, & sub censura canonum contentum. Præcipue autem grauissimum est inter omnia peccata, quæ contra sanctos sunt, contra beatam Virginem blasphemare. Coanage etiam cõtra alias creaturas blasphemare, eis maledicendo, vel imprecando. Et hic est aduertentia adhibenda. Creaturæ enim hæc rationabiles sũt, aut irrationabiles: si rationabiles, duplèter possunt maledici.

Vno modo interius, desiderãdo malum, quod imprecamur, vel exterius, volendo illas iniuria afficere: & tunc, cum malum est graue, est mortale: vt, qui dicit, suspendaris, moriaris, cum interius ista desideramus proximo euenire: cum non, sed solum in exteriori est blasphemiam, est veniale. Si verò irrationabiles sunt, non semper est mortale: vt maledicere panis, vino, libris, vineis, & alijs.

Quadrupliciter possumus his maledicere.

Vno modo, considerando vt creaturæ sunt Dei, & intentione maledicendo, & sic est mortale, & blasphemiam, siue rationabiles, siue irrationabiles sint.

Altero modo, ratione creaturæ rationalis, cuius sunt vt maledicere vineis, quia illius sunt, vel huius: & tunc, si interius malè desideramus propter dominum talis rei, mortale est, sicut diximus de ipsa creatura rationabili.

Tertiò possunt considerari secundum se, & tunc maledicere his, vt dixit Caiet. verb. Maledictio, est actus otiosus, atque peccatum veniale.

Quartò possunt considerari ratione mali illari ab ipsis, & sic possunt maledici, & est actus licitus: non enim est hoc tam maledicere creaturæ, quàm malo. Sic Iob dice, & David mon-

tibus



tibus maledicebat . Idem esse dicendum de bestiis . Ex his habes, quid de blasphemia sentiendum est . Aliud est peccatū contra hoc præceptum, quod impietatis dicitur, & est oppositum honori, quem debemus Sanctis, & Deo, sicut blasphemia est opposita laudi. Pietas enim est, qua Deum, & Sanctos reueremur : cum igitur ipsos in honoramus, dicitur peccatum impietatis: unde, imagines conculcare, reliquias Sanctorum spernere, opera in Deum iniuriosa facere ad hoc spectant peccatum, cui si error accedat intellectus, est etiam hæresis : secus non, vt supra.

*De Superstitione.*

CAPVT XIV.

**A**liud est tertium peccatum superstitionis. Est autem superstitio, vana, seu falsa religio. Religio enim virtus est debitum cultum Deo exhibens : contra quam est superstitio, indebitum cultum exhibens.

Huius duplex est genus iuxta duos modos, quibus indebitè cultus exhiberi potest.

Vnus est, cum Deo vero cultum exhibemus, non eo modo, quo exhibendus est. Alter, cum cultus exhibetur Deo falso, cui exhibendus non est. Prior superstitio duas habet species. Altera est, cum Deo exhibetur cultus falsus, vt qui Deo modò vellet offerre sacrificia veteris legis: nunc enim sunt falsa, quia tunc significabant futuram mortem Christi, quæ iam non est futura. Similiter, quia alicuius sectæ infidelium ceremonias vellet exhibere Deo, talis Deo exhiberet cultum, sed non eo modo, quo debet, & dicitur cultus perniciosus, & est mortale peccatū. Ad hoc peccatum reducitur illud, quo quis falsas reliquias supponit pro veris, decipiens alios; & qui falso dicit imagines has, vel illas fecisse miracula, vt eleemosynas suscipiat à populo. Altera species est, cum Deo exhibetur cultus superfluus, qui dicitur ille, qui non ordinatur ad Spiritum, & qui additur vltra consuetudines Ecclesiarum : unde, qui multiplicat Alleluia, cum dicendum est vnum, additque super ea, quæ in ceremoniali sunt, cultum exhibet superfluum : talis tamen superstitio non est mortale, sed veniale tantum, nisi ex contemptu fiat. Superstitio autem ea, quæ cultum quidem exhibet, sed non cui exhibendus est, quinque sub se includit

spe.



species, Idololatriam, Magiam, Diuinationem, Vanam oblationem, & Maleficium. De singulis agere oportet.

Est igitur Idololatria, diuini cultus erga falsum Deum, prohibitio. Colere enim pro Deo eum, qui non est Deus, aut ipsum laudando, aut inuocando, aut sacrificando, aut etiam modo se prosternendo, idololatrare est. Est autem idololatria per se opposita religioni; tamen ex adiuncto, & concomitantia opponitur fidei. Sicut enim vera adoratio non est, nisi prius præcedat in intellectu, qua illius excellentiam recognoscimus, cui nos subiicimus, ita etiam adoratio falsa, quæ est idololatria, non est, nisi error in intellectu præcedat, quo dignum honore iudicamus Deum falsum, cui idololatria se prosternit. Vnde fit, vt idololatria sit peccatum subiectum excommunicationi in Cœna Domini, vt hæresis. Cum verò non est error in intellectu, si verè iudicat homo, illud, quod adoratur, esse tali honore dignum, sed timore, vel alia passione moratur, adoratur, & colitur, tunc non est propriè idololatria, sed dicitur exterior idololatria: & quamuis sit in foro exteriori subiecta excommunicationi, quia præsumitur etiam interior, & cum errore, tamen in foro interiori non habet anexam excommunicationem, vt superius diximus de hæresi. Vtriusque tamen modo est peccatum mortale.

Alter species est Magia. Videtur autem sic posse describi. Est potestas inordinata faciendi quod supra naturam est. Dupliciter fieri potest aliquid supra naturam: vno modo diuino auxilio supernaturali adiutis; & hoc ad potestatem miraculorum spectat; altero verò, auxilio demonis: & hoc ad Magiam spectat. Et aduerte, quòd Magia per finem distinguitur ab alijs superstitionis speciebus dicendis: nam Magia est, qua homo facit mirabiles effectus, & supra suam naturalem potestatem, hoc solo animo, vt potens videatur, & magna, & mirabilia faciens.

Aduertendum vltèrius, quòd licet homo videatur ista magna facere, aliqua potestate in se existente, verè non facit, sed dæmon est, qui ista ad suum imperiũ facit: nec Magia habet aliquam potestatem super dæmones, vt cogat eos ista facere, sed lingunt ipsi se cogi imperio eius, vt magis recipiant, quamuis aliquando, potestate alterius dæmonis superioris, cogantur, vt homini alicui pareant. Dæmones autem nullam per se habent efficaciam faciendi effectus hos, qui in Magia videtur, sed tripliciter tantum dæmon operatur.



Vno modo, iam effectus per naturam, aut artem factos aliunde transfundendo: habet enim potestatem super omnia ista inferiora, quantum ad motum localem. Vnde, si facit hic serpentem, vel aliud apparere, alijs ex locis portat: est enim ei mirabilis agilitas, ut ictu oculi innumera milliaria peragat.

Altero modo, ista facit, de nouo faciendo, non per se, sed occultè applicando causas naturales, & accelerando actiones earum. Est etenim peritissimus: cognoscit enim omnes naturas omnium lapidum, herbarum, animalium, & rerum vniuersi, & proprietates earum, & vbi inueniantur. Vnde sæpè facit arborem nasci breuissimo tempore, applicando semen, & omnes causas alias; sæpè fructus, sæpè animalia, Sæpè sanat etiam dæmon, occulta medicamenta adhibendo, vel intra corpus se immiscendo, & humores expellendo.

Tertio modo, operatur ista, sensus deludendo, & hoc dupliciter.

Vno modo, proponendo sensibus vera obiecta, non qualia apparent, sed ex aère condensato: vnde sic aliquando facit apparere serpentes, dracones, animalia etiam multa, quæ non sunt vera, sed ex aère condensato confecta, & per ipsum dæmonem mora.

Altero modo, ipsosmet sensus impediendo, ne videantur exteriora, & imaginationem hominum mouendo, ut appareat illis, res illas illic esse, quæ verè non sunt, sicut fit, cum homo somniat. His modis dæmon multa operatur ad vocem & petitionem Magorum.

Aduertendum tertio, quod frequenter est pactum dæmonis cū Mago. Explico. Pactum est promissio facta ab homine dæmoni, & a dæmone homini: promittit enim homo obedientiam dæmoni, & negationem diuinorum præceptorum, & sacramentorum: promittit dæmon, se omnia illa facturum; & quò magis promittit homo, eò etiam dæmon. Hoc pactum dupliciter fit. Aliquando cum ipsomet dæmone, qui visibiliter apparet, & fœdus inicit. Aliquando fit medio aliquo homine: ut cū quis per aliquè Magum tale facit pactum. Aliquando autè cum dæmone dupliciter solet fieri. Vno modo solenniter, ut cum dæmon apparet visibiliter in folio suo sedes, cum cetera aliorum dæmonum, coram quibus fit tale pactum. Altero modo, priuatim, ut, cum fit pactum absque solennitate sola enim tacita inuocatione fit, cum homo vritur illis me-



dijs, quibus Magi solent uti, ad faciendos effectus tales, sed tamen nouum intercedit pactum.

Est autem generaliter obseruandum, tacitam dæmonis inuocationem esse, cum homo intentat aliquid facere per ea, quæ nec ex se, nec ex virtute supernaturali tales possunt producere effectus. Vnde his modis maximè ista inuocatio contingit.

Primò, cum verba dicuntur, in quibus voces aliqua non significatiua sunt.

Secundò, cum characteres, & figura alia à signo Crucis, & figura ouales, quadrangula, vel similes sunt.

Tertiò, cum miscetur aliquod falsum: vt, quòd Christus habuit febres, vel alia; vel apocripa, vt fictæ alibi historiae,

Quartò, cum apponuntur conditiones inutiles ad tales effectus: vt, cum feruntur verba sacra scripta in carta tali, vel tales herbae, tali, vel tali die, & hora decerpæ, & alia huiusmodi.

Quintò, cum effectus excedunt virtutem illius medi: vt quando quis promittit alios recessuros in gratia; non posse lædi ab inimicis, & alia huiusmodi. His modis est inuocatio tacita dæmonis: & Magia aliquando (licet raro) fit cum tali inuocatione, absque pacto.

Aduertendum quartò circa huiusmodi peccati grauitatem. Magia sæpè est hæresi coniuncta, aliquando autem sine hæresi est. Tunc est coniuncta hæresi, cum error contra fidem est in intellectu, accedente pertinacia. Vnde magus examinandus est, quid credat, an credat dæmones dignos esse aliquo honore, posse aliquid facere absque diuina permissione, in alia via se bonum ab eis recepturum, semper vera dicere, & alia huiusmodi. Cum enim aliquod horum esse creditur cum pertinacia, id est, cognoscendo esse contra Ecclesiam, est hæresis, & tunc est Magus excommunicatus. Cum verò non est error in intellectu, est absq; hæresi; sed est horrendum peccatum mortale, cum intercedit dæmonis pactum: non autem excommunicationi latæ expositum est, licet Magus sit excommunicandus, vt habetur 26. q. 5. At qui ipsos magos consulit, & qui petit opera eorum, excommunicatus est, vt habetur ibi. c. si quis etiam. Ista excommunicatio nulli reseruatur. Cum verò est magia cum sola tacita inuocatione, est etiam mortale. Cum tamen est ignorantia, quia homo nescit ibi inuocari dæmonem,



nem, veniale est, donec ab aliquo aduertatur, vel per se cognoscat: tunc enim esset mortale.

*De Diuinatione.*

CAPVT XV.

**T**ERTIA species est diuinationo: est autem hæc, enunciatio inordinata eorum, quæ per naturam cognosci non possunt, id est scire ea, quæ homo naturaliter cognoscere non potest. Tamen per diuinam reuelationem, non est diuinationo. Ea tamen scire modo inordinato, & dæmonis inuocatione, ad diuinationem spectat. Maxime autem hæc hominis naturam excedunt. Primum, ea, quæ à Diuina voluntate sola pendent, qualia sunt mysteria gratiæ, quod hic saluetur, ille condemnetur, & alia huiusmodi. Secundo, quæ pendent ex liberrate hominis, & nondum futura sunt. Tertio, quæ sunt futura contingentia, & ita possunt non euenire, vt euenire. Quarto, quæ sunt occulta, vel absentia, vt homo per se cognoscere nequeat. Velle aliquid horum scire modo inordinato, pertinet ad diuinationem.

Aduertendum tamen, quod nec dæmon scit certò ista, sed primò, coniectura quadam, ex longa experientia, quam habet, & ex subtilitate ingenij sui, qua conditiones singulorum & inordinationes cognoscit, & plus minusve cõijcit, quid sint facturi. Secundo, ex reuelatione Angeli boni: permittit enim Deus ipsi dæmoni aliqua manifestari. Tertio, aliquando res, quas prænunciat, erant naturaliter euenturæ, vel certæ futuræ, non tamen videntur euenire nisi contingenter, & sic videtur etiã enunciare contingentia. Nam sæpè dæmon secretum morbi alicuius intuetur, & cognoscit naturale tempus mortis, quod alteri prænuncians, videtur contingens dicere. Sæpè etiam nunciat ruinas domorum, quia occultas causas ruine operantes vider. Sæpè etiam annunciat quæ ipse facturus est. Quarto, ex naturalibus multa scit, propter magnam scientiam naturalem suam, & Astrologiam, qua pluias, pestes, eclipses, & alia potest prædicere. Hoc modo diuinatores suos decipit. Est autem duplex genus diuinationis. Alterum est, in quo inuocatur aperiè dæmon, vt dicat occulta: quæ inuocatio solet esse multi-plex, iuxta modos multos, quibus solet dæmon respondere. Aliquando per fectas, & apparentes figuras, & dicitur Præstigiũ.



Aliquando per somnia, & est diuinitio somniorum, cum homo à dæmone responsum expectat per somnia. Aliquando per mortuorum suscitationem, & dicitur, Necromantia, esse dæmon nullam animam reuocare possit ad mundum hunc, tamen fingit esse mortuum, assumendo corpus, ac si anima esset. Licet aliqui dicant, diuina permissione dæmonem id facere, sicut fecit de Samuele. Alij dicunt Deum id fecisse, non dæmonem, nec Pythonissa id poterat. Aliquando id fit per viuos, & arrepticios homines, qui dicuntur Pythones. Aliquando fit per statuas, & corpora terrestria, & dicitur Geomantia. Aliquando per figuras apparentes in aquis, & dicitur Hydromantia. Aliquando per figuras aëreas, & dicitur, Aëromantia. Aliquando per ignes, & dicitur Pyromantia. Aliquando per interiora animalium, & dicitur Aruspicium. Hæ omnes species sunt grauissima peccata mortalia; in quibus expresse inuocatur, dæmon, & colitur, & est maximè peccatum hoc hereticum, si error fit in intellectu. Qui consultit hos arolos, & diuinos, excommunicatus est, vt diximus supra de Magis.

Alterum genus est, in quo non inuocatur expresse dæmon, sed tacitè, puta, cum medijs vtitur quis ad cognoscendum res, quæ media nullam habent virtutem indicandi res. Et hoc diuiditur in duo genera. Aliud, cum media non sunt aliqua opera facta ab ipso homine. Alterum, cum sunt actiones aliqua humanæ. Primum genus multas habet species, puta Astrologiam, quæ fit per situs, & motus astrorum: Augurium, quod fit per garritus animalium, seu auium: Auspicium, per volatus auium: Omen, per verba alicuius hominis casu aliquo, vel aliqua intentione prolata, vt quia miles dixit socio: sistamus, dux decreuit exercitum non mouere: Chiromantiam, quæ fit per signa, & figuras corporis humani. Circa Astrologiam notandum est, quod non negamus posse naturales effectus fieri, vt eclipses, pluuias futuras, & alia huiusmodi, & similes complexiones, & inclinationes hominum, nam cæli influunt in humana corpora: tamen triplici casu vt Astrologia est peccatum mortale.

Vno modo, ad cognoscendum mysteria gratiæ, & ea, quæ à sola Diuina voluntate dependent. Secundo, ad cognoscendum ea, quæ ex libera voluntate hominis pendent, quasi certa cuentura sint, quod quidem falsum est: nam nec complexio hominis, nec cælum, nec vlla creatura cogit voluntatem;



tatem; & contingentia multis causis impediri possunt. Quòd si quis vellet cognoscere aliquando contingens, vel liberū, iudicando esse incerta, & posse nō euenire, nō est mortale, nisi tantum in tertio casu. Tertius autē casus est, cum quis in suis actionib. vitur istis iudicijs Astrologorum, tanq̄ regula, nec quicq̄ vult facere, nisi cælum consulendo, iste talis iam certam putat regulam. Semel autem, vel bis consulere, & iudicando esse rem incertam, & posse non euenire, veniale esset, & actus omninò otiosus, quia nihil prorsus certitudinis tale habet iudicium. In his igitur casibus, tacitè inuocatur dæmon, dum sumitur pro medio cognoscendi, qui ex se talem efficaciam non habet, vt per ipsum res tales cognoscantur, ob id peccatum est.

Circa augurium, & auspiciū, notandum est, aliquando esse licita, cum solum prænunciare intendimus ea, quæ naturaliter solent aliqua animalia pænunciare. Deus enim instinctus sæpè aliquorum futurorum animalibus indidit: vt Mergeri mare linquentes, signant tempestatem futuram. Vespertilioes longè volantes a domibus, significant serenitatem, & alia huiusmodi multa. At verò alia, quorum animalia nullos habet instinctus, prædicere, peccatum est mortale, quia est tacita dæmonis inuocatio, qualia sunt coniungentia, & quæ à libertate hominis pendent, vel à solo diuina voluntate.

Genus alterum diuinationis, quod in aliquibus actibus humanis consistit, dicitur sortilegium, siue fiat taxillorum emissione, siue aliquarum chartularum descriptione, siue plumbi liquefactione, siue ceræ, vel alio simili modo. Est autem aduertendum, esse triplex genus sortium.

Quædam sunt diuinatoriæ, quæ emittuntur ad aliquod occultum, vel futurum sciendum.

Quædam diuisoriæ, quæ emittuntur ad cognoscendum, quid cuique eueniat.

Quædam consultoriæ, quæ emittuntur ad cognoscendum quid in aliquo casu sit agendum. Et quidem prima diuinatione semper est peccatum mortale, quia ibi tacitè inuocatur dæmon, nisi in aliquo casu expectaretur responsum, seu iudicium a Deo, quo modo Saul emisit sortem super Ionatham, & nauar super Ionam.

Diuisoria autem licita est, cum triplici tamen conditione. Primo, ne in ea committatur aliquid contra Iustitiam, puta, cum res, quæ in sorte mittitur, vnus est, nec ad eam par ius



habent alij, inter quos mittitur fors, tunc non esset licita, quia iniustitia fit domino: similiter non excluduntur, qui pariter habent. Secundo, ne sit contra publicum bonum Reip. ut, cum dignitates sortiuntur inter homines, etiam ineptos ad tales dignitates. Simile est de dignitatibus alijs alicuius communitatis, cum inepti admittuntur ad sortes. Tertio, ne sit in dignitatibus Ecclesiasticis, & beneficijs, talia enim sortiri non licet stantibus conditionibus.

Diuisoria licet, dummodò iudicium non expectetur à dæmone, sed fortuitum sit.

Consultoria, cum iudicium expectatur à dæmone, peccatum est mortale; cum verò à Deo, licet, sed cum triplici conditione. Prima, ut sit cum necessitate: cum enim media humana facile haberi possunt, non est Deus tentandus. S. Tho. 2. 2. q. 95. art. 8. Unde, liceret uti sortibus in hoc casu, cum tēpore pestis aliqui Curati essent mansuri, tamen duo sufficerent, ipsi autem immitti essent, Episcopus non potest eos concordare, nescitque quos constituat, posset iudicium à Deo expectare per sortes. Similiter, cum duo essent in equali necessitate extrema, quorum unus aliquis subuenire posset, tunc sorte consulendus esset Deus, vter illorum esset. Hi duo casus sunt Augustini. Secunda est, ut sit cum reuerentia: accedere enim Deo irreuerenter, peccatum est, & quidem veniale, nisi irreuerentia notabilis sit. Tertia est, ne sit in rebus prophanis: Deus enim non est in his rebus consulendus. Tales conditiones in diuinatione, cum licita est, seruari debent; cum autem aliter sit, peccatum est: & in his omnibus, cum à dæmone iudicium expectatur mortale est, & sortilegium. In diuinatoria autem, nisi expressè Deus inuocetur, tacite inuocatur dæmon: ob id, ex se mortale est.

*De vana obseruantia, & maleficio.*

#### CAPVT XVI.

**Q**uarta superstitionis species est, Vana obseruantia: in qua tacite dæmon inuocatur, cum in ea, media quedam assumantur, quæ non habent virtutem vllam ad tales effectus.

Huius quatuor sunt species in sum.

Prima est, ars notoria, quæ continet orationes quasdam, &



seruitia, ad consequendas scientias absque villo labore, ad modum infularum scientiarum, Quæ quidem obseruantia, mortale peccatum est.

Secunda est, obseruantia sanitatum, cum homo ad sanitatem obtinendam, vana media, & inutilia assumit, vt hi, qui quibusdam orationibus sanant dolorem capitis, & aliorum morborum, retinent sanguinis fluxum, sanant etiam alias infirmitates, etiam animalium. In his frequenter accidunt vanæ quædam circumstantiæ, & verba quædam ridicula, aut non significantiæ, quæ tacite continent dæmonis inuocationem.

Talis obseruantia veniale est peccatum, cum personæ ignorantia accidit; cum verò admonita est de vanitate, mortale peccatum est: iam enim dæmonem sciēter inuocat. Cum autem tales orationes puræ sunt ab omni mala circumstantia, & ex deuotione dicuntur, non est peccatum, melius tamen est ab ipsis abstinere. Sufficit Euangelium à Sacerdote aliquo prolatum, vel alia oratio Ecclesiæ ex deuotione Deo fusa. Ad hanc speciem reducitur decerptio herbarum die Ascensionis, & D. Iohannis ante solis ortum, & alia similia, vt de Carlino primo in die Parasceues.

Tertia est, obseruantia futurorum euentuum. Aliqui enim, ex quorundam impertinentium obseruatione, mala futura sibi, vel alijs conijciunt; vt si læuo pedē domo quis egressus est: si statim lapidem offendit: si somniat in aliquo loco malum sibi euenturum: si, postquam euigilauit, statim ster nutauit: tūc enim dicunt esse iterum dormiendum. Omnia ista, & similia vana sunt, & plerumque venialia, nisi quis pertinaciter istis adhæreat post admonitionem, si ignorans sit.

Quarta est obseruantia reliquiarum, cum aliqui portant aut vanas reliquias, aut veras cum aliqua vana circumstantia, vt Euangelia, si scripta sunt in charta virgine, & cum certis ceremonijs. Similiter, cum, promittuntur effectus falsi, vt, quod morietur in bello, in peccato, & huiusmodi: talia sunt mortalia, nisi grandis ignorantia excuset; quia isti nimis fidunt suis reliquijs erga istos effectus. Cum autem sunt veræ reliquiæ, absque vlla vana circumstantia, aut verba sacra pura, licitum est, & vtile. Sed admonendi sunt qui talia portant, ne istis solis fidant, quasi sufficiant sine villo bono opere, & vitæ rectitudine.

Vltima species superstitionis est maleficiū, de quo multa dicenda sunt. Et primum est, quid sit. Potest autem sic describi.



Est ars nocendi alijs dæmonis potestate. Aduerte Magum, & Maleficū differre penes finem: Magus enim vtitur arte dæmonis, ad ostentationem potentie diuinæ, ad sciendum abscondita: Maleficus autem, ad nocendum alijs: ipsa autem opera, quibus alijs noceat, solent dici maleficia. Aduertendum secundo, esse duplex maleficium, quoddam dicitur amatoriu, quoddam veneficium. Amatorium est, quo malefici vtuntur, ad deflectendos animos hominum ad amorem carnalem, inclinando ad vnos, vel diuerrendo ab alijs: & hi malefici solent rixas, & odia inter coniugatos efficere, & animos vtriusque ad aliam personam deflectere. Veneficium est, quo solent nocere hominibus, & duplex est. Vnum, quo nocent in propria persona, aut occidendo, aut infirmitates, vel dolores causando, aut sterilitatem sexus inducendo. Alterum, quo nocere solent in rebus, aut destruere vineas, arbores, animalia, subuerere ædificia. Hi isti solent excitare ventos, grandines, ingentesque tempestates. Non est autem existimandum, istos maleficos per se, aut potestate sibi infra ista facere, sed aut venena arte dæmonis conquisita ministrando, aut ipsis dæmonibus ad ipsorum voces, & figmenta operantibus erga ea, quibus nocent. In primis circa amatorium notandum est, dæmones nullius hominis voluntatem posse cogere ad amandum, solum per suadet mouendo phantasmata, & hominis imaginatione, qua voluntas afficiatur ad rem amandam, faciendo apparere amabilem. Rursus incitat carnis appetitum, semper tamen manet libera voluntas. Vnde, non excusantur isti à peccato, quamuis dicant se trahi inuitos ad amorem, vel odium; hoc enim falsum est: solum enim tentantur, sed non coguntur. Circa personas, Deo permittente, aliquando dæmon potestatem exercet, inducendo dolores, & infirmitates, quas nulla medicina sanat. Applicat ad hoc venena, aliasque virtutes naturales, quæ causa naturalium, & similem habet potestatem super res ipsas irrationales, quas destruunt per se occidendo, vel grandines, tempestates, aliasque destructionis causas, Deo permittente, applicando. In his dæmon est, qui operatur. Vnde, quando malefici faciunt aliquas imagines cereas, vel ex alia materia, & illis nocent, aut partes, & membra acubus pingunt, & tunc personæ statim patiuntur in illa parte, quæ pungitur in imagine, non est existimandum illud nocumentum imagines peruenire ad personam, sed dæmon operatur erga personam, dum maleficus erga imaginem. Simile est, quando cōfingunt alia quædam

figmen-



menta, & apponunt in partibus eius, cui nocent, vel alijs in locis. Dæmon enim ipsos decipit maleficos. His igitur modis contingit maleficium.

Ad peccati verò gravitatem, nimis est advertendum. Est enim aliquando maleficium hæresi coniunctum, multaq; gravissima peccata involvit: ob id Confessarius quatuor debet inquirere maximè in maleficio.

Primò, pactum ipsum, quod ferè semper intercedit cum demone, in quo promittunt se negaturos fidem Christi, sacramenta, & alias cæremonias Ecclesiæ,

Secundò inquirendus est maleficus, an in isto pacto aliquè habuerit errorem contra fidem: puta, existimando eam non esse veram, aut aliquid illius; sacramenta non esse sancta, nec sanctificare. Cum enim aliquis talis error intercedit, iam est hæresis: quòd si non intercedit, sed sola malitia voluntatis, relinquatur peccatum ipsum pacti, quod mortale gravissimū est, & est ipsa inuocatio dæmonis. Cum enim intercedit adoratio quadam, examinare oportet, an maleficus errorem in hoc habuerit, putans dæmoni aliquam deberi reuerentiam. Similiter, cum petat ea sæpè, quæ dæmon non potest præstare, an existimaverit dæmonem habere potestatem supra hominis voluntatem, vel habere potestatem supra res absque diuina permissione. Quòd si ista existimat, si ignorans est, & post admonitionem adhuc retinet opinionem est hæreticus. Quòd si nihil horū intercedit, vel post admonitionē non credit, ea, quæ credebatur, cum ignorans erat, relinquatur ipsum peccatum inuocationis mortale.

Tertium est, ipsum maleficium. Solent enim isti sæpe res sacras miscere in suis maleficijs: puta aquam benedictam, oleū sanctum, & ceram benedictam, & quod magis est, Sacramentum sanctissimum. Dæmon enim inimicissimus rerum sacramentum conatur animas hominum ab istis auertere, & persuadet eis abuti, & eis vim ad ista maleficia inesse. Similiter sæpè interponunt verba sacra, & verba consecrationis. Faciunt etiam sacra dæmoni, & alia multa nefanda: tunc examināndus est maleficus, an crediderit istis sacris talem inesse virtutem, ad effectus ipsorum nefandos: qui enim istud pertinaciter credit, absque dubio hæreticus est, & incurrit hæreticorū pœnas. D. Ant. cap. tit. 12. c. 5. §. 1. Quòd si sola malitia voluntatis, absque errore intercedit, quod vix fieri potest, peccatum est mortale horrentissimum sine hæresi.



Quartum est damnum, quod committunt circa personam, & res: aliquando enim sunt homicidæ; immò, cum nocent in rebus, tenentur restituere damna, sicut latrones. Hæc laudantur circa istorum peccata aduertenda.

Est autem quinto aduertendum, quòd isti non solum peccant, cum vtuntur suis maleficijs ad nocendum, sed etiã cum vtuntur eadem arte ad auferendum, quod intulerunt damnum: nam est inuocatio dæmonis. Immò nulli licet petere a malefico aliquo, vt maleficium altero maleficio dissoluat, vt tenet Caiet. ver. maleficium, Sylu. eod. ver. & Alf. de Castr. lib. de heret. punit. & alij, sed orationibus, & Sanctorũ intercessionibus, & piorum deuotione, & sacramentorum susceptione ista dissolui debent. Ad hoc peccatum reducuntur peccata lamiarum, seu strigum: nam hæc potius carnalem quam delectationem foruntur enim à dæmonibus per aëra corporaliter, & cum ipsis corpora sumentibus committunt rem veneream, & innumeratas luxurias: quamuis non semper corporaliter ferantur, sed aliquando per imaginationem. In his intercedit pactum. Etiam istæ nocere solent, & multa alia committere peccata, & vix absque hæresi reperiuntur. Vnum autem notandum est, quòd quamuis videantur corpora transmutare humana in bestias, id non fit verè, sed dæmone oculos inspicientium deludente, intrant autem domos referatas, dæmone aperiente ianuas, & obstacula remouente. Solent etiam pueros occidere, alijs nocere, & maxima pars est faminarum. Hæc autem omnia sunt horrenda peccata, & in foro interiori grauissima digna penitentia: exterius enim forum grauissime punit. Hæc sunt species huius peccati superstitionis.

*Quid votum, qua eius materia, quanta sit eius obligatio.*

#### CAPVT XVII.

**H**Atenus de blasphemia, impietate, superstitioneque diximus, nunc de apostasia à Religione, ratione voti dicendum est. In cuius gratiam de voto oportet tractare, ac primum quid sit. Sic autem describi potest: *Votum est deliberata promissio, ex voluntatis proposito, Deo facta. In qua descriptione, quatuor continentur, quæ ad voti rationem sunt necessaria.*



Primum est, deliberatio, quæ quidem in multis consistit.

Primo in vsu rationis, vt, qui vouet, sit particeps vsus rationis: vnde pueri, ante septimum annū, nullum possunt votum facere, quia tempus rationis nondum aduenit.

Secundo, vt iste vsus rationis sit tunc, cum votum emittitur, vnde, ebrij amentes, licet sint adulti, quia tunc in tali passione ratione non vtuntur, non possunt vouere. Rursus hi, qui passione aliqua moti ita celeriter, & inconsideratè vouent, vt tunc non habuerint vsum rationis, cum talem actum emiserunt, non verè vouent.

Tertio, debet esse talis vsus rationis, vt sufficiat ad peccatum mortale. Ita Palu. 4. d. 38. q. 1.

In cuius gratiam aduerte, in homine esse tres motus voluntatis.

Primus est ita celer, vt nullo modo sit in potestate hominis cohibere. Aliquando enim viso aliquo malo, voluntas ita cito in odium mouetur, vt homo nullo modo potuerit cohibere, & iste dicitur motus primò primus, in quo nec est peccatum nec meritum.

Alter est ita celer, vt homo ferè non possit cohibere, licet aliqua ex parte possit, imperfectè tamen, & non plenè: & in isto actu potest esse ratio meriti, & peccati, sed non plena: non enim sufficit ad peccatum mortale, sed solum ad veniale. Et dicitur iste motus secundo primus. Neuter sufficit ad votum faciendum.

Sed tertius est, in quo est verè libertas, vt homo possit emitte-  
re, & non emittere: in quo solet peccatum mortale esse. Talis libertas, & deliberatio est necessaria, vt votum sit, puta, vt sic homo promittat, vt possit non promittere, quia cognoscit, quid faciat.

Rursus quartò, ista deliberatio non debet esse coacta. Cum enim quis metu notabili mortis, aut grauis mali, coactus est ad emissionem voti, non vouet, nec votum est validum. Intellege autem, cum cogitur ad vouendum: vnde, qui metu mortis cogitur ad professionem emittendam, vel Religionem vouendam, non vouet. Similiter, si filia à patre sub pœnis cogitur ad monachatum amplectendum, quamuis promittat, si metu tali id facit, votum non est, vt dicit Sot. lib. 8. de iustit. & iure, quaest. 2. art. 1. ad 2. Hoc igitur est primum in voto necessarium, scilicet deliberatio, vt declaratum est.



**ALTERVM** in voto necessarium est, Propositum. Est autem Propositum voluntatis determinatio ad aliquid faciendum: quod in voto est necessarium, adeo, vt, qui promitteret Deo etiam Religionem, tamen interius non haberet propositum promittendi, nullum votum faceret, immo peccaret mortaliter, sic deludendo. Aduerte tamen, quod duplex est propositum, alterum faciendi, quod promittitur: alterum promittendi. Si quis promittit Deo sine priori, mortaliter peccat, tamen votum tenet; nam posterius tantum est necessarium, vt sit votum, puta, vt quis promittendi propositum habeat.

**TERTIVM** in voto necessarium est, Promissio, id est ipsa traditio & obligatio. Est autem in tantum necessaria promissio, vt quamuis quis proponat ex toto animo aliquid facere, adhuc non teneatur, nec sub veniali, facere, nisi id promiserit. Imò propositum, etiam cum ingressu Religionis, non obligat, vt falsò quidam putarunt. Est enim semper in toto ipsa promissio necessaria, sine qua votum est nullum.

**QVARTVM** est necessarium, vt ista promissio Deo fiat: promissio enim hominibus facta, non dicitur votum, nisi ipsi fiat Deo immediatè, aut mediatè in Sanctis suis. Ex his igitur patet, quid Votum sit. Deficiente autem vno modo ex his, non est votum. Deficiente quarto, ex promissio & obligatio: at si desit vnum ex alijs tribus, nec circa homines, nec circa Deum vlla est obligatio. Non enim existimare debes, ista tria esse necessaria tempore distingui, vt prius homo deliberet propòre, & post proponat, & tandem promittat, Hoc quidem bonum est, & magis obligat; tamen sufficit simul ista facere, promittendo liberè, & spontaneè Deo: nam in hoc omnia includuntur. Ex natura hac voti descripta multi casus dignosci poterunt.

Oportet tamen secundo loco de materia voti agere: in cuius explicatione multorum resolutio consistit. Sunt autem quatuor conditiones necessarig. Debet enim esse materia possibilis, non vana, bona, meliori non contraria.

In primis debet esse possibilis, vt homo promittat, quod possit fieri. Promittere enim impossibile, non est votum, nec obligatio; imò peccatum est ex se veniale.

Est autem multiplex impossibile.

Primum est, quod est omnibus impossibile: vt, per totum vitam tempus abstinere se à peccato veniali omni: hoc enim

nullus



Nullus viator potest, citra speciale priuilegium. Siquis igitur hoc uouet, votum nullum est: secus de mortali: Dei enim gratia potest quis se abstinere ab omni mortali: vnde votum obligaret, sed tale non est faciendum.

Alterum impossibile est, quod à principio fuit possibile, tamen postea factum est impossibile: vnde cessat votum pro tempore impossibilitatis: Verbi gratia, quis uouit virginitatem, tamen postea illam amisit, mortaliter quidem peccauit contra votum, tamen iam non est votum, quia non est res possibilis: vnde, quamuis secundo, & tertio, fornicetur, non peccat contra votum: secus, si uoueret continentiam, nam adhuc potest seruari. Si quis tamen continentiam hanc uoueret, & postea uxorem duceret, non tenetur iam eam seruare, quamuis peccauit mortaliter ducendo eam. Dico autem non teneri ea parte, qua non potest, cum vxor debitum petit: nam ipse potest seruare, & tenetur, non petendo, nisi, cum vxor non uellet petere, expectando ipsius viri petitionem. Mortua tamen uxore, iterum tenetur seruare continentiam.

Rursus, uouit quis ingressum Religionis, postea tamen non recipitur, aut expellitur, non amplius tenetur, nec ad continentiam. Vbi nota, quod si quis uouit Religionem, in quodam loco determinato, puta, uouit ingredi hunc conuentum Religiosorum, si non recipitur in isto, non amplius tenetur. Si uero uouit Religionem quandam absolutè, puta Religionem Dominicanorum, tenetur adire plures domos illius ordinis, si forte sunt illa ciuitate, aut propè, si in nulla recipitur, non tenetur, quia iam impossibile est mortaliter, nec oportet peragere prouinciam. Si uero uniuersaliter Religionem uouerit, tenetur plures domos diuersorum ordinum in illa ciuitate adire: si uero non reciperetur, non tenetur, quia moraliter iam impossibile est. Idem dicendum, quando iusta causa, postquam est receptus, expellitur, aut egreditur ante professionem, dummodo non sit ob culpam suam: tunc enim tenetur emendare, & per ipsum non ster.

Tertium est impossibile, quod est tali personæ impossibile: unde fit, ut subditus, in eo, in quo est subditus, non possit uouere, nisi superiorum approbatione. Filius, ante decimum quartum annum, non potest uouere Religionem, nec ante vigesimum quintum uouere circa rem, nisi patris approbatione, nec solutus, nisi superiorum licentia, nec seruus siue Domino, nec maritus absque uxore, vel contra. Dixi autem in eo, in

quo



quo est subditus; nam filius potest vouere orationes, ieiunia, & seruus, & vxor, & alia. Similiter Religiosus potest aliquas vouere deuotiones, quæ non impediunt obedientiam, & similiter ingressum arctioris Religionis: omnes hi casus ad hoc spectant, quod materia voti debet esse possibilis, secus, votum nullum est, ob id, quod nulla est obligatio.

SECUNDO, debet esse materia non vana, seu indifferens. Dicitur autem id vanum, quod nec ad Dei honorem, nec ad salutem animæ ordinatur, nec contra ista est: nec enim esse bonum, nec malum est. Talia igitur promittere, nullum est votum, imò peccatum est, saltem veniale: Verbi gratia, si quis, quia passus est tempestatem, vouet nunquam ingredi mare: vel quia cecidit à mula, vouet se nunquam ascendere supra mulam; vel quia S. Ioanni Baptistæ abscissum est caput, vouet se nunquam manducaturum capita animalium: hæc & similia, non sufficiunt, nec obligant, quia res vanæ sunt. Tamen attendendum est, aliquando esse rem vanam esse, tamen ex aliquo adiuncto esse bonam; vt qui voueret se non ambulaturum talem viam, si id sit, quia in tali via solet ab illiqua mala scemina sollicitari tunc est bona res, & votum verum est.

Tertiò, materia debet esse bona: cum enim mala est, nullum est votum. Hinc fit primò, quod vouere aliquid, quod est mortale, non est votum, imò peccatum mortale.

Secundò, vouere aliquid, quod est veniale, nullum est votum, imò peccatum veniale, vt multis exemplis ista possunt exprimi.

Tertiò, vouere propter malum finem, quamuis res sit bona, nullum est votum, imò peccatum. Tabien. verb. votum, §. fin. Ang. verb. votum, §. 3. Caietan. verb. votum, & Nauar. capit. 12. numer. 43. ac si peccatum voueret, quia votum debet esse actus bonus; & malus finis actum facit malum: vnde fit, vt, qui vouet Deo elemosynam, vt occidat inimicum, vt consequatur rem iniustam, vt veniat in duello, vel bello in bello, peccet mortaliter, & votum sit nullum, etsi Religionem voueat: secus, si ista voueret, vt incolumis maneret in duello, & in bello non esset victus; vt filium haberet, quamuis esset mulier adultera: hoc enim votum obligaret, quia ista in se bona sunt. Tamen aduertendum est, quod aliud est vouere ob malum finem, aliud vouere spe mali; aliquando enim potest quis vouere spe hac, vt consequatur aliquem malum finem,

tamen



amen non ob eum vouet: hoc enim votum obligat.

Quartò, vouere pro re mala, votum est nullum: vt quia adulteram consequutus est, quis vouet in gratiarū actionem aliquid tale, non est votum, sed mortaliter peccat. Simile est, vouere cum conditione mala, vt vouere aliquid, si occidat aduersarium, & alia huiusmodi: omnia ista mala sunt, ob id non obligant; imò ista sic promittere, peccatum est mortale. Si vero finis est veniale, etiam votum est veniale.

Quintò, debet esse materia meliori non contraria: non enim iā est, esse bonam, sed talem, vt non sit impossibilis diuinis consilijs: vnde, si quis voueret ducere vxorem, nō esset votum, quia non comparitur Religionem, quæ est status perfectionis, & consilij. In aliquo casu esset votum, vt, si alicui magis expediret talis status, quàm Religio, quia nimis est incontinens, tunc votum obligaret, quia illi est materia melior. Ita tenet Caiet. 2. 2. q. 88. art. 2. & Nauar. c. 12. num. 43. Aduerte autem, quòd materia dicitur contraria meliori, quando ex illa non potest fieri trāsitus ad melius, vt est matrimonium: cum verò potest, votum esset; vt, si quis se obligaret perpetuò seruire in Xenodochio: quia in hoc positus, non ob id priuatur, quo minus fieri possit Religiosus. Ex his omnibus materiam voti habet, qualis esse debeat, ex qua multorum casuum resolutio pendet.

Circa voti obligationem, illud primò obseruandum est, intentionem vouentis inspiciendam esse potius, quàm verba: ad ea enim obligatur, ad quæ se extendebat intentio: vnde, qui vouet tres dies ieiunij, examinandus est, quo modo intendat ieiunium hoc: nam iuxta intentionem votum est.

Aduertendum est secundò, voti materiam esse duplicem.

Quædam est, quæ alias non erat præcepta a Deo, sed tamen est bona, vt, qui vouet eleemosynam, peregrinationem, & alia, quæ non tenebatur ante votum, & tale votum obligat sub mortali, adeo vt, qui agit contra votum, etiam in re ante non peccat, vel minima, peccet mort.

Quædam est alia materia alias præcepta, vt, qui vouet se nō iuraturum, non occisurum, & alia, quæ diuino præcepto continentur: & qui contra tale votum agit, bis peccat mortali, & contra præceptum, & cōtra votum; vel est vnum mortale, & contra præceptum, & cōtra votum, & penitus in confessione tenetur de his duobus æquiualens, & non tantum peccatum, sed etiam ipsam voti circum-

stantiam:



stantiam: unde, clericus in maioribus, qui votum habet continentiae, si fornicetur, tenetur non solum in confessione dicere se esse fornicatum, sed etiam simul, se esse clericum, si Confessarius ignoret.

Aduertendum tertio, esse tantam voti obligationem, qui suadet contra votum aliquid agere, mortaliter peccatum, autem votum est Religionis, multa peccata concurrunt. Quod enim habenti propositum ingrediendi Religionem, id dissuadet sine causa rationabili, puta, quia ille ineptus est Religionem, vel utilior extra, vel alia iusta causa, mortaliter peccat. Rursus, qui habenti votum Religionis simplex, vel solenne, ingredi Religionem, vel nondum ingresso dissuadet ipsam Religionem, absque eadem causa rationabili, & sine dispensatione relinquenda, mortaliter peccat. Sot. 4. d. 15. qu. 3. putat obligari, si ipse ingrediatur Religionem, quam ille sua persuasione tenet, sed oppositum est tenendum. Numquam enim obligatur homo ad Religionem, quamvis ipsius causa multi desiderarent eam; obligatur tamen ad restitutionem, cum ille Religiosus utilis erat conuentui, ita, vt conuentus detrimentum passus fuerit ex illius amissione.

*De votorum differentijs, & ipsorum relatione.*

CAPVT XVIII.

**V**otum multiplex est.

Primo enim diuiditur in simplex, & solenne. Et votum simplex, quod in sola promissione, & conditione ex parte viuentis consistit. Solenne autem, vna tantum promissionem, consistit in acceptione ex parte Dei, cum fit ipsa promissio. Votum enim est solennizatum per acceptionem Dei, cum fit per superiores, & Praelatos ipsius nominis. Est autem inter votum vtrumque quadruplex differentia notanda.

Prima, Votum simplex est generale, comprehendens multam materiam. Fit enim de castitate, Religione, elemosinis, peregrinationibus, & multis alijs. Et solenne particulare est, non enim fit nisi de castitate, in clericatus ordinibus maioribus, & de Religione per professionem.



Secunda, votum simplex castitatis, & Religionis, impedit matrimonium contrahendum, non tamen dirimit contractū est, qui vouit castitatem, aut Religionem simplici voto, nō potest vxorem ducere: si ducat, mortaliter peccat, tamen tenet matrimonium (exceptis votis simplicibus Societatis) sed non potest exigere debitum, post votum castitatis, sed reddere, sine Pontificis dispensatione: At verò solenne, non solum impedit, sed contractum dirimit, quia tale matrimonium nullum est, sed & sunt separandi.

Tertia, si quis vouit simplici voto Religionem, si non recipiatur in monasterium, vel si non ex sua culpa expellatur, amplius non tenetur voto, vel etiam, si ingrediatur, & in anno probationis videt sibi non conuenire Religionem, & iusta causa egreditur, non etiam tenetur: at verò, qui solenne habet votum, quacumque causa egrediatur, vel expellatur, tenetur seruare castitatem perpetuam, nisi ei dispensatio fiat, non tamen obedientiam, vel paupertatem. Si autem sua culpa Religionem deseruit, tenetur iterum regredi ad monasterium, nisi expellatur.

Quarta, transgressio voti simplicis, etiam cum culpa, nō facit hominem apostatam (exceptis votis simplicibus Societatis) at transgressio solennis voti, facit apostatam. Est autem aduertendum, duplicem esse apostatam in voto; vnum in voto Religionis, alterum in voto castitatis solennizato in clericali. Erga priorem, aduerte dupliciter contingere.

Vno modo, cum est apostata in corde, & vita, quia verè non viuunt, nec vult viuere iuxta votū, & hoc est mortale peccatum satis graue.

Altero modo, cum habitum Religionis deserit, & laicum sumit, vel multo tempore, & absque necessitate, & hoc mortale est peccatum, & subiectum excommunicationi latae sententiæ, que habetur in sext. ne cleric. vel mona. cap. secundo. In quo etiam excommunicatur doctor qui talib. exponit medicinā, aut in ciuile scienter. Excommunicatio tamen ista nulli reseruanda, vnde a Confessario proprio absolui potest, sed non debet, nouusque habitum reassumat. Aduerte tamen, cum, necessitate aliqua, dimittitur, animo reassumendi, putā, vt securus inter terras infidelium transeat, non est apostata: esset tamen, si per horam dimitteret, animo laicaliter viuendi. Circa potestatem apostata a clericali aduerte esse duplicem.

Alter est, qui in maioribus constitutus erat ordinibus.



Alter, qui in minoribus. Qui in maioribus potest esse apostata, sicut & monachus, quoad vitam, & quoad habitum: & utroque modo peccat mortaliter; non tamen ullam a se incurrit excommunicationem. Qui in minoribus verò est, quamuis intendat ducere uxorem, immò de facto ducat, non ob id mortaliter peccat, aut venialiter, nisi ex contemptu faciat, ut dicit Sylu. verb. apostasia. Imò quamuis habeat beneficium, & illud relinquat: nam si retineat, mortaliter peccat, & censetur apostata. Imò cum est beneficium habens curam animarum, dum non sit collegiatum, tenetur ipso facto omnes redditus beneficii restituere, quos in suam utilitatem accepit, a tempore, quo voluntatem habuit non retinendi clericatum. Et hoc habetur in cap. commissi, de elect. in sext. In alijs autem beneficijs solum mortaliter peccat, nec est absolueudas, donec aut animum mutet, aut beneficium dimittat.

De habitu verò, qui in minoribus est, potest laicaliter incedere, dum modò tonsuram non habeat, aut beneficium: aliter enim tenetur proprio incedere habitu. Hæc igitur est quarta differentia inter hæc vota. Est etiam vna differentia inter votum solenne Religionis, & clericatus. Religionis, dirimit matrimonium ratum, non consummatum. Si quis duxit uxorem de presenti, tamen nondum copulam habuit, potest ingredi Religionem, & per professionem dissolvitur matrimonium: at clericatus matrimonium non dissolvit. Est enim efficax votum Religionis: ob id, quamuis à Papa possit dispensari, tamen non debet, nec dispensat, nisi in gravissima causa, & urgentissima.

Hæc igitur est prima voti diuisio.

Iterum diuiditur votum in personale, & reale.

Personale est, quod ad personam vouentis spectat, ut peccata implentur: ut, qui vouit castitatem, Religionem, ieiunia, orationes, & similia. Reale, quod ad rem pertinet: ut, qui vouet eleemosynam, & eas, quæ absque rei dispendio non fiunt. Est autem differentia; pater enim potest usque ad decimum quartum annum annullare vota personalia filiorum, non tamen post decimum quartum annum: Realia verò potest usque ad vigesimum quintum inclusiuè.

Iterum tertio diuiditur votum in conditionale, personale, & absolutum.

Conditionale est, quod sub conditione ponitur, & hoc obligat posita conditione, nisi mala sit: alias non est votum, ut sit.



præ diximus : unde, qui vouet Religionem, vel peregrinationem, si à Deo sanetur, vel ab aliquo liberetur periculo, si ista impleantur, tenetur implere votum.

Pœnale est, quod in pœnam alicuius ponitur, quod quidē, cum sit sine bono, est votum obligans : vt, qui dicit, si non me abstinero hodie à ludo, vel fornicatione, voueo centum, vel tot dies ieiunij, vel Religionem, vel quid aliud, si post non ita abstinet, obligatur voto.

Absolutum est, quod simpliciter fit, absque conditione, & pœna. Quanta autem sit differentia inter ista, paulò post dicemus in vororum dispensatione. Circa quam aduertendum est, ista inter se differre, irritare votum, commutare, dispensare, absoluere voti transgressionem.

Iritare enim est annullare votum factum, & facere, vt non sit obligatorium, nec verum votum: quo modo pater filiorum vota irritare potest, vt superius diximus, & prælatus vota inferiorum, dominus seruorum, & vir vxoris, & e contra. Tamen attende, cum materia est contraria eis, in quibus subditus tenetur parere, statim vota sunt irrita, nisi approbetur à superiore: vt, votum filij ante decimum quartum annum: circa mutationem status, vota Religiosi de peregrinatione, & similia. Cum verò non sunt contraria, possunt etiam irritari, sed non sunt irrita, sed obligatoria, quousque à Superiore irritentur: unde, si filius vouet ieiunia, tenetur donec pater irritet: in iritatione autem non est necessaria causa, sed voluntas irritantis.

Commutare verò, est materiam voti in aliam mutare: & quidem in meliorem potest ipse vouens, absque alia licentia; mutare verò in æquiualem, aut in paulò inferiorem, non potest: hoc enim est prælatorum, & Episcoporum, qui non debent commutare absque causa rationabili, nec commutare in leues materias, sed in ferè æquiuales proportionaliter.

Dispensare autem, est relaxare voti obligationem: & cuius est commutare, est etiam dispensare; sed non potest fieri sine iusta causa: & oppositum facere, peccatum est, nec vouens contra Deo liber manet. Possunt autem Episcopi, & Prælati, circa subditos, omnia vota commutare, & dispensare, iusta excusante causa, præter quinque, quæ soli Papæ referuantur. Puta, votum simplex Religionis, castitatis perpetuæ (cum enim temporalis est, potest Episcopus) sancti Iacobi, Hierusalem,



sancti Petri Romæ. Reseruantur etiam vota solennia Pontifici. Est autem notandum vnum, quod notauit Victoria, ista quinque vota tunc reseruari Pontifici, cum absoluta sunt: cum verò conditionata, vel pœnalia, pertinent ad Episcopum: cum autem peccatum committitur contra votum, tunc potest à quolibet proprio Confessario absolui, sicut & peccata alia, sed manet voti obligatio in posterum: vt, qui vouet continentiam, si fornicetur, potest a proprio Confessario absolui à peccato, sed pœnitens manet, etiam post hanc absolutionem, obligatus adhuc voto.

*De tentatione Dei.*

CAPVT XIX.

**V**ltimum peccatum ex his, quæ proposuimus contra primum præceptum Decalogi, est Tentatio Dei, purè, qua homo Deum tentat: in cuius gratiam primo inquirendum est, quid tentatio sit: potest autem sic describi: *Tentatio est dictum, vel factum ad capiendum alicuius experientiam:* cum enim alicuius scientiam, vel potentiam, vel patientiam, vel quid simile exploratum habere volumus, aliquid dicimus, vel facimus, vt in eo ille scientiam, vel potentiam suam ostendat, dici mur ipsum tentare: vnde, qui in scholis aliquas interrogationes tentatiuè faciunt, vt ex responsionibus cognoscant sapientiam eorum, quos interrogant, dicuntur tentare, & tales interrogationes tentatiuæ. Ille igitur Deum tentat, qui aliquid dicit, vel facit, vt Dei potentiam, vel sapientiam, vel bonitatem, vel aliud attributum exploret.

Notandum tamen, non solum tentationem esse, vt is qui tentat, experimentum accipiat tentari, sed etiam, vt tentatum non solum faciat alijs: qui experientiam haberet alicuius sapientia, si tamen aliquid diceret, aut faceret, vt ex illius facto sapientia esset alijs manifesta, diceretur ipsum tentare: & vtroque modo homo Deum tentare potest, vt homo tentans Deum experimentum capiat: & vt alijs etiam ipsum manifestum faciat, vt dicemus inferius: Deus autem hominem secundo modo tantum tentat, vt illius virtutes alijs notas faciat.

Aduertendum secundo, dupliciter eòtingere, vt quis Deum tentet. Vno modo expressè, altero tacitè, quod alijs vocant interpretatione.

Ten-



Tentat expresse, qui dicit, aut facit aliquid hac intentione, ut experimentum faciat Dei bonitatis, vel potentiae, siue pro se, siue pro alijs: ut, qui à Deo petit miraculum, siue pro se, siue pro alijs; qui subdit periculum, à quo non potest liberari, nisi à solo Deo, hac intentione, ut, vel pro se, vel pro alijs Deus exploratus sit.

Tentat autem tacite, qui, quamuis non habeat talem intentionem Deum tentandi, tamen id facit, quod ex se tendit in hoc, puta, ut Deus exploretur, & probetur, quod quidem contingit dupliciter.

Vno modo, cum quis, relictis medijs naturalibus, & à Deo ordinatis ad effectus proprios, quærit tales effectus: ut, qui infirmus existens, volensque sanari, nollet naturale remedium adhibere.

Altero modo, qui quærit sponte periculum, à quo, non nisi à Deo solo liberari, aut vix liberari possit: qui relicta scala, vellet è turri, per aëra descendere, quamuis non haberet animum tentandi Deum.

Aduertendum tertio circa peccatum; Tentare Deum expresse, & per se non licet, nisi ex diuina inspiratione, sicut fecit Abraham Gen. 15. qui dicenti Deo se daturum terram illam, dixit, *Vnde sciam, quod possessurus sim terram hanc?* in hoc non peccauit, quia ex diuina inspiratione fecit. Similiter Achaz, Isai. 7. non peccasset petendo signum, quia præcepit Deus, *pete tibi signum*, immò peccauit non petendo, quia non obediuit præcepto diuino. Cum verò talis inspiratio, aut diuinum mandatum non est, non licet signa petere à Deo, ipsum tentando pro se: nam tunc ista tentatio procedit aut ex dubio & ignorantia, quam habet homo de diuina potentia, aut sapientia, aut perfectione, & tunc est peccatum mortale, nisi dubium sit leue, & non omnino deliberatū, tunc enim esset veniale, & sic peccauit Zacharias venialiter, Luc. 1. cum dixisset Angelo, *Vnde sciam hoc, cum sim senex?* &c. Aut nascitur ex curiositate, qua homo vult opera aliqua supernaturalia videre, & tunc ex genere non est peccatum mortale, quia est irreuerentia notabilis Diuinae maiestati illata. Cum tamen materia leuis esset, peccatum foret veniale. Rursus, tentare Deum expresse pro alijs non licet, nisi duplici accedente conditione.

Altera est, necessitas, cum, puta, non apparet facultas viâ Dei aliter manifestandi, quo modo Elias Deum tentauit, ut populus incredulus eum reciperet, & Prophetas Baal occideret.



Altera est utilitas, cum, puta, speratur probabiliter iustus in his, in quibus Deum manifestare volumus. Cum autem aliqua harum deest, graue peccatum est, & mortale, cum materia adest grauis: vnde, qui modò vellet miraculis vi ad confirmandam fidem, habentibus cognitionem ipsius sufficientem, peteretque à Deo miracula coram hæreticis, grauer peccaret, cum non sit necessitas: sufficit enim eis Ecclesiæ testimoniū. Similiter, si non esset utilitas: vnde, qui apud gentes extraneas vellet in fidei confirmationem ignis fornacem subire, si nulla inde speraretur conuersio, peccatum esset mortale. Rursus, Deum tentare tacite, peccatum est ex genere suo mortale, nisi, ultra necessitatem, & utilitatem, sit res iusta, supra quam Deus tentatur: Vnde, qui forte vellet futurum secretum alicuius cognoscere, vel similiter, ignis probatione cognoscere, peccaret, quamuis diuinum iudicium expectaret. Nam si medijs naturalibus potest id cognoscere, non est necessitas: si vero non potest, hoc modo velle id scire, iniustum est: nam secreta ad tribunal tantum Dei spectant. Liceret hoc ex aliqua diuina inspiratione. Peccaret etiam, qui absque necessitate, & utilitate, pericula mortis, vel mali grauis subiret; vel qui in malo graui remedia naturalia sperneret: tentatio enim Dei esset.

### De Secundo præcepto.

*Quid iuramentum, quot eius species.*

#### CAPVT XX.

Secundum Decalogi præceptum habetur Deuterono, & Exod. 20. in hæc verba, *Non assumes nomen Dei in frustra, seu, in vanum.* In quibus verbis prohibetur iuramenti abusus. Vt igitur quid prohibeum sit plene cognoscatur, oportet de iuramento tractare, in quo primum inquirendum est, quid ipsum sit. Videtur autem sic posse describi. *Iuramentum est inuocatio diuini testimonij, in dicti alicuius confirmationem.* Explicet homines non semper fidem adhibent dictis, & promissionibus aliorum hominum simplici verbo affirmantium, negantium, aut promittentium: ob id, si Deum in tellem eorum, quæ affirmant, vel negant, & in fidei iussorem eorum, quæ

pro-



promittunt: adducunt per ipsius inuocationem, talis inuocatio iuramentum dicitur. Fuit autem iuramentum hoc homini necessarium, propter malum pœnæ, quod per peccatum incurrit: quia enim peccauit homo: perdidit creditum, & fidem, quæ simplicibus dictis suis adhiberi debebat: ob id, Deus prouidit illi iuramenti remedium, ut, quod ei ablatum erat per peccatum, suppleretur per iuramentum, in quo vnâ cum homine Deus inuocatur in testimonium veritatis eius, quæ profertur, & ita intelligitur illud Matth. 5. *Sit sermo vester, est, est, non, non, quod his abundantius est, a malo est*, scilicet, quod additur simplici affirmationi, vel negationi, puta, iuramentum, a malo pœnæ est, quàm homo per peccatū incurrit, ut ibi Aug. interpretatur. Merito autem Deus inuocatur in iuramento; nam ipse summa veritas est, quæ nec fallit, nec falli potest. Ad confirmandum autem dicti veritatem, nihil potuit accommodari ipsa summa veritate inuocari.

Aduertendum est tamen, Deum inuocari dupliciter in iuramento.

Vno modo explicitè, cum nomine suo nominatur, dicendo per Deum, per Christum, per summam veritatem, testis sit Deus, & similia.

Altero modo implicitè, cum in creaturis inuocatur, in quibus ipsius sapientia, potentia, & bonitas splendet. Qui enim iurat per sanctos, per cælum, per terram, per aliasque creaturas, Deum in eis relucens inuocat. Si enim ipsas per se inuocat, cum non sint rationis capaces illarum multæ, non est iuramentum. Si tamen iuramentum est, Deus in ipsis inuocatur, estque maius iuramentum, quod magis Deus in creatura relucet: Vnde maius est iurare per beatissimam Virginem quam per alios sanctos, magis per istos, quàm per cælum, magis per cælum, quàm per terram, & sic consequenter. Habes igitur ex his, quid sit iuramentum: pertinet enim ad Religionem, cum bene fit, cum sit inuocatio Dei. Huius quatuor sunt species. Est enim iuramentum assertorium, promissorium, comminatorium, execratorium. Assertorium est, in quo affirmatur, aut negatur aliquid præsens, aut præteritum: ut, per Deum iste occidit hominem, per Deum non occidit. Promissorium, in quo futurum affirmatur, vel negatur promittendo: ut, faciã hoc per Deum. Cominatorium, in quo promittitur malum pœnæ: ut, per Deum castigabo te, percutiam te, &c. Execratorium, in quo, siue promittendo, siue asserendo, aliquid



affirmatur, vel negatur, sibi apponendo poenam, vt Deus me destruat, nisi hoc ita sit, aut, nisi hoc faciam: similiter cum dicitur per vitam, per caput meum, per filios, per vxorem: nam sensus est, ita Deum inuoco; vt, nisi hoc ita sit, me vitam, capite, aut filijs. Hæ sunt species iuramenti: quamuis comminatorium ad promissorium reducatur; execratorium ad promissorium, & assertorium: tamen, maioris distinctionis gratia, melius est ita distinguere.

*An liceat iurare, & quomodo.*

CAPVT XXI.

**I**uramentum, si debito non fiat, licitum esse adeo verum est, vt hoc negare sit hæreticum contra scripturam. Habetur enim Deuter. 6. *Dominum Deum tuum timebis, & illi seruias, & per nomen illius iurabis.* Psal. 69. *Laudabuntur omnes qui iurant in eo.* idem definitur in bulla Martini V. in Concil. Constant. est enim actus religionis, cum sit inuocatio quædam Dei, seu diuinæ veritatis. Vnde in hoc secundo præcepto, non prohibetur iurare, sed malo modo iurare, puta, frustra, aut in vanum. Dupliciter autem contingit male iurare, & consequenter peccare in iuramento.

Vno modo, cum in iuramento non inuocatur verus Deus, sed dii falsi, aut dæmon. Tale enim iuramentum est peccatum mortale. Vnde peccant Gentiles, & Pagani, iurantes per suos falsos Deos; inest enim quædam inuocatio ipsorum. Peccaret etiam mortaliter Christianus, qui serio sic iuraret: atque hæc est causa, cur non liceat Christiano inducere Paganum ad iurandum, vt docet S. Thom. 2. 2. qu. 98. art. 4. quia est illos inducere ad peccatum: licet tamen ipsorum iuramenta acceptare, cum ipsi se obligare volunt; non tamen ad tale iuramentum eos inducere.

Altero modo contingit male iurare, cum non seruantur tres condiciones in iuramento, puta, veritas, iustitia, & necessitas, quas colligunt Doctores ex illo Hieremias 4. *Iurabis, nisi Dominus, in veritate, iudicio, & iustitia.* De quibus tractare oportet in particulari per singulas species iuramenti, & ab assertorio incipiendum est.

Vt ergo assertorium iuramentum licitum sit, debent illa tria inesse.

Quo



Quorum primum est, veritas, in cuius explicacione tria sunt notanda.

Primum est, esse veritatem triplicem.

Prima est, quando, quod dicitur, conformatur rei, id est, ita est, sicut dicitur; vt, si quis dixerit: frater est mortuus, & ita sit, veritas est.

Altera est, cum quod dicitur, sic esse ille existimat, licet non ita sit in re: vt, cum quis existimat fratrem mortuum, dicit, frater est mortuus, quamuis ille viuat, tamen verum dicit.

Tertia est, cum, quod dicitur, ita est, sicut existimat, & sicut in re est, & ista est veritas perfecta: vt, si frater verè est mortuus, & hoc idem ita esse existimans aliquis diceret, frater est mortuus. Sicut igitur triplex est veritas, ita per oppositum triplex est falsitas.

Prima, quando quod dicitur non conformatur rei.

Altera, quando non conformatur menti, & ei, quod existimatur, quamuis conformetur rei.

Tertia, quando nulli conformatur. Primum falsum, non est mendacium, secundum, & tertium sunt. Est enim mendaciū, cum homo dicit aliter quàm existimat in corde, quamuis à parte rei ita sit, vt dicit. Et verum oppositum mendacio est, cum homo dicit quòd sentit, siue ita sit, siue non in re. Aduerte igitur, veritatem in iuramento requisitam, esse istam, quam homo dicit, sicut in corde sentit: quando autem dicit aliter quam patat, iuramentum est falsum, licet ita sit in re. Iurare igitur falsum, id est, affirmare, vel negare res, aliter quàm homo in corde credit, est mortale peccatum semper, quamuis materia sit leuissima; vt, iurare mendacium otiosum, & iocosum: ita in citata bulla Martini V. immò propter quemcumque finem.

Homo enim nec propter vitam propriam, nec propter proximi vtilitatem, aut totius reipublicæ debet iurare mendacium, & hoc faciendo, peccat mortaliter: & in vno tantum casu excusatur, cum inaduertenter iurauit, non considerando iurare falsum: tunc enim veniale tantum est peccatum. Iurare tamen falsum, id est, quòd ita sit, dummodo, cui iurat, existimauit ita esse, non est mortale, nec veniale, nisi in tribus casibus.

Primus est, cum non fecit vllam diligentiam cognoscendo quod iurabat, sed leui coniectura credens statim iurauit.



Qui enim absque diligentia iurat, quod in re non ita est, mortaliter peccat; non tamen, si diligentiam conuenientem adhibet.

Secundus est, cum dubius est de re, an ita sit, & ipse ut committitur: in hoc enim casu etiam mortaliter peccat.

Tertius casus est, cum paratus est iurare, quamuis scire rem non ita esse: in hoc casu etiam mortaliter peccat. Hoc est primum notabile contra veritatem iuramenti assertori.

SECUNDO est notandum, aliquando teneri hominem, non solum secundum mentem propriam iurare, sed etiam secundum mentem aliorum, id est, uti verborum significatione communi, quam qui audit, mente concepit: quamuis non semper teneatur ad hoc, sed aliquando licet uti æquiuocatione, & decipere audientem. Ut autem hæc omnia cognoscantur, sunt aduertenda tria puncta

Primum est, cum quis non petitus iurat, sed sua sponte, tenetur uti vocabulo secundum communem significationem, & oppositum facere, est mortale peccatum. Ita tenet Syll. ven. iuram. 3. §. 2. Vnde negotiatores, qui, ut res suas cõficiant, iurantur iuramento supra verba contra cõmunem sensum & modum intelligendi, nõ excusantur à mortali: v.g. iurant, se tantum emisse rem illam, quam vendunt, & tamen non est ita: nam minoris emerunt, illi tamen intelligunt illam rem simul cum alijs emptis, illi mortaliter peccant, quia sponte iurant contra mentem alterius.

Secundum est, qui petitus à superiore iurat, tunc, si superior iuridicè & iuste iuramentum petit, tenetur iste iurare adque æquiuocatione, ad mentem iudicis, licet vita priuetur: si verò contra iustitiam petit, potest uti æquiuocatione, & iurare suam propriam mentem, contra mentem iudicis. Verbo gratia, iudex petit iuramentum ab aliquo, ut dicat crimen, vel proprium, vel alienum, si iudex habet criminis telum verum fide dignum, aut semiplenam probationem, aut infamia criminalis criminis, quia reus habetur iam huius criminis infamatus, tunc tenetur iurare verum, secundum mentem iudicis: si verò omninò est occultum, non debet iurare, & si cogatur, utatur æquiuocatione, puta, & cetero, intelligendo intra se, ut dicam tibi, vel non feci, intelligendo, nunc non feci, vel quid simile. Cum verò crimen est periculosum reipub, aut hæresis pertinax, licet occultum sit tale crimen, debet iurare, & respondere secundum mentem iudicis, cum



cum de alio petitur, nō cum de se: non enim tenetur se manifestare tunc.

Tertium est, cum, qui petit, non est superior, aut iudex, tunc simpliciter potest petere.

Primo, cum violentia, & cautione iniusta, & tūc, qui iurat, potest uti æquiuocatione: ut, si vir uxorem petat, an sit adultera, ista potest dicere, non sum, quamuis verum fuerit, intelligendo, ut tibi reuelem. Similiter, qui cogitur iurare se accepturum aliquam in sponsam, potest iurare se accepturum, intelligendo, si postea placuerit.

Secundo, sine violentia, sed cum iustitia, ut qui emit, petit iuramentum à vendente veritatis rei, & tunc non licet uti æquiuocatione. In hoc casu notat vnum Sylu. verb. iurament. 3. §. 2. posse responderi ad intentionem petentis remotam, id est iuxta id, quod primò intendit: verbi gratia, cum ciuitas aliqua non admittit ciues alterius, quia peste infectos putat, tunc custos petit ab aliquo veniente iuramentum, an veniat ex illa ciuitate, tunc si talis ciuitas verè non est infecta, potest iurare non venio, intelligendo, modò, quamuis veniat verè, iuxta mentem custodis. Similiter, quamuis sit infecta peste, si tamen ipse non sit infectus, potest uti æquiuocatione, nam non fecit contra præcipuam intètionem custodis, seu ciuium illorum. Denique potest iurare æquiuocè, cum iuramentum petitur & ignorantia veritatis, quæ si sciretur, non prohiberetur talis, cui petitur.

Tertiò, potest petere rogando, & qui rogatus iurat, potest uti æquiuocatione, maxime cum non est reuelanda res, & importunus est qui rogat, & precibus iuramentum petit.

Aduerte tertiò circa veritatem iuramenti, quòd non solum peccat mortaliter qui cum mendacio iurat, sed omnis, qui alios ad sic iurandum inducit; imò, qui iuramentum petit ab eo, quem probabiliter scit falsò iuraturum, dummodò qui petit non sit publica persona, ut iudex; hic enim, ratione officij, debet obseruare ordinem statutum, potestque petere iuramentum ab his, quos cognoscit falsum iuratuos, ut tenet S. Thom. 2. 2. 198. art. 4. Hæc igitur sunt circa veritatem iuramenti assertoria notanda.

Circa iustitiam aduerte, non fat est verum iurare, ut iuramentum sit licitum, sed cum iustitia iurare, id est, non debet homo iurare illud verum, quod reuelare peccatum est. Si enim quis occultum crimen reuelaret alicuius, ipsum infamando

mando



mando peccaret, quamuis verum diceret, quia contra iustitiam facit; si hoc verum iuraret, iterum peccaret. Est autem hoc peccatum iuramenti mortale, cum iniustitia, supra quam iurat, mortalis est: est autem veniale, cum iniustitia venialis est.

Rursus non fatis est cum veritate, & iustitia iurare, nisi necessitas, vel utilitas est, nempe, cum res, quæ iuratur, alicuius est momenti, & cum aliter non creditur, nisi iureretur. Qui vero iurat res nullius momenti, aut ea, quæ absque iuramento crederentur, absq; necessitate iurat, peccat. Hoc autem peccatum non est mortale, nisi tantum veniale, nisi adsit contemptus, aut periculum sit falsum iurandi ex mala consuetudine, secus veniale esset. Hoc habet Syluestr. verb. iuram. 2. §. 8. vbi dicit, hoc esse secundum omnes dicendum. Idem Soto lib. 6. de iust. quæst. 4. art. 3. vbi dicit, si quis per Deum iurat pluere, cum pluit, vbi nulla necessitas apparet, nec est, solum venialiter peccat. Idem Nauarr. c. 12. nu. 3, & Caiet. verbo, periurium, in fine. Hæc sunt de iuramento assertorio.

Hæc eadem tria seruanda sunt in iuramento promissorio. Est enim seruanda veritas: vt, qui sub iuramento promittit, non intendens adimplere, est periurus contra veritatem iuramenti; & in omni casu, & materia, & propter quemcumque finem mortaliter peccat, sicut in assertorio; nec excusatur a mortali, nisi ex imperfectione actus, vt supra diximus. Est etiam seruanda iustitia cum veritate. Iustitia autem in hoc iuramento est, ne id, quod promittit sub iuramento, sit peccatum adimplere. Qui enim se facturum aliquod peccatum iurat, peccat si quidem non intendit facere, iam est mortale, quia sine veritate iurat. Si facere intendit, tunc is peccat, & ex intentione, quam habet peccandi, & ex iuramento supra rem iniustam. Si quod iurat est mortale, mortaliter peccat: vt qui iurat se occisurum inimicum, aut non auditurum sacrum die festo, vel quid simile: si vero est veniale, tantum venialiter peccat, vt tenet communis opinio. Ita dicit Caiet. verb. periurium. Syluest. verb. iuram. 3. §. 7. & Soto lib. 2. de iustit. q. 4. & alii. Qui enim iuraret, se mendacium otiosum dicturum, aut se non facturum aliquid, quod ad consilium spectat, non ad præceptum, intendens ita adimplere, tam ex intentione, quam ex iuramento, venialiter tantum peccaret.

Est etiam seruanda necessitas, seu utilitas; ijs enim deficientibus, si adsint veritas, & iustitia, solum est veniale peccatum,



um, vt diximus de assertorio. Hæc dicta sint de promissorio.

De comminatorio eadem prorsus dicenda sunt: nam quantum ad hoc, non distinguitur à promissorio, & assertorio. Sed quæ de his diximus, etiam dicenda sunt de execratorio: nam hoc aliquando incidit cum assertorio, cum tali iuramento vimur, ad confirmandam aliquam veritatem presentem, aut præteritam: aliquando etiam coincidit cum promissorio, cum iuramus futura. Quæ igitur de duobus prioribus dicta sunt, de alijs duobus intelligi debent.

*De obligatione iuramenti.*

CAPVT XXII.

**O**bligatio iuramenti in his iuramentis est consideranda quæ supra aliquod futurum sunt: ibi enim manet homo obligatus, post iuramentum, adimplere quod iurauit: modo igitur de assertorio nihil dicendum est, sed de alijs tribus. Est igitur tanta obligatio horum, vt, qui iurauit quocumque modo aliquid, quod iurare fuit licitum, & cum intentione obligandi iurauit, teneatur adimplere sub mortali peccato, quamuis sit res leuis, & parui momenti. Ponam duo exempla, per quæ alia intelligentur.

Primum est, si quis fuit à latronibus in via comprehensus, qui noluerunt dimittere ipsum, quin prius iuraret, se postea daturum centum aureos, tunc hic iurauit se daturum, si, cum iurauit, intendit verè dare, tenetur sub mortali dare postea. Ita tenet Sor. lib. 8. de iust. q. 2. art. 3. Verum est, quo iste potuit æquiuoce iurare, ratione coactionis, dicendo, iuro me daturum contra se dicere, si mihi libuerit, & tunc non tenetur, quia absolute non iurauit daturum.

Alterum est, si quis in carcere detentus à custode, vel iudice mittitur, cum iuramento redeundi, iste talis tenetur postea redire, etiam cum periculo mortis: si tamen carcer erat iniustus illi, quia non secundum iustitiam illic detinebatur, potest æquiuocatione visi, si tamen intendit se obligare, & redire tenetur. Ita tenet Sylu. verb. iuram. 4. §. 26. & est communis doctrina. Vide Couar. lib. 1. variar. resol. c. 2. qui tenet eum multis, non teneri obseruare iuramentum, etiã cum intentione

tionem



tione redeundi factum. Obligatur deniq; homo ad veritatem iuramenti implendam, sub mortali. Sunt tamen aliqui casus, in quibus iuramentum non tenetur adimpleri, sed obsequi peccato non impletur.

Primus est, ratione materiae. Cum enim quod iuratum est mortale, peccavit quidem mortaliter, sed non debet adimplere, alias mortaliter peccabit implendo. Similiter si fuit veniale, non debet adimplere: vt, qui iuravit, se non muruaturum alicui aliquid, vel nunquam fidei iussurum, vel alia similia, peccatum fuit veniale iurare, non tamen debet implere, nec vilo modo peccat non implendo. Idem est iudicium de te indifferenti, nec bona, nec mala; veniale enim est iurare, nec homo implere tenetur.

Secundus casus est, ratione euentus, in quo multa continentur.

Primum, quando iuravit quis aliquid, sed postea, cum implendum est, euenit aliquid, quod impossibile facit illud, nec non implere, nō est peccatum: vt, qui iuravit, se tali die veniaturum, & accidit tali die, male habere, vt abstinere non possit absque malo. Rursus, qui iuravit se conuenturum aliquem tali die, & post ipse comprehensus detinetur in carcere, vel illius longè discessit, non tenetur implere promissum. Hic tamen obseruandum est, quod si, cum iuravit, probabiliter cognouit, se postea non valiturum implere, peccavit iurando, quia tunc defuit intentio, aut fuit dubius in implendo, & tunc mortale. Non enim dubium pro certo iuramento firmandum est. Loquitur autem de certitudine morali, non semper Dei voluntatem supponit; alias nullus potest fructu iurare.

Secundò, si iuravit aliquid bona quidem intentione, & bonum, tamen postea accidit aliquid, quod impletionem facit malam, & peccatum, tunc non est promissum implendum: verbi gratia, iurasti te daturum enses alicui, tamen postea, cum dandus erat, factus est ille mente captus, tunc non est dandus. Rursus, iurasti te facturum quod alter vellet, aut peteret, tunc ille perit à te aliquid peccatum, non teneris implere; sic Herodes nō tenebatur implere promissum, cum illa petijt caput Ioannis.

Tertiò, si postea euenit aliquid, quod est inductiuum alicuius notabilis mali temporalis: vt, si quis iuravit ire Laureum tali die, si postea accidat, in via esse inimicorum exercitum,



qui omnes transeuntes occidit, aut capit, nō tenetur cum isto periculo implere quod iuravit.

Quarto, si postea euenit aliquid, quod est in præiudiciū maioris boni: vt, si iurauit quis, se conuenturum aliquē tali tēpore, & accidit tunc infirmum indigere illius præsentia, non tenetur. Similiter, si accidat aliud maius bonum, ad quod homo tenetur, seu quod tunc omittere malum esset.

Quinto, si aufertur ratio iuramenti: vt, si seruus iurauit se se obediturum Domino, & clericus Episcopo, si postea desinit esse Dominus, vel ab Episcopatu deponitur, non obligat iuramentū. In his omnibus iuramenti obligatio cessat ratione euentus.

Tertius casus est, ratione modi iurandi: nam ex interpretatione ipsius iuramenti, homo aliquando simpliciter non obligatur ad seruandum promissum: vt, si duo honoris gratia contendunt de primo ingressu, neuter vult primus esse, sed alteri cedere, si dicat vnus, per Deum non ingrediar, tamen postea ab altero victus ingrediar, non est periurus, quia iuramentum sic intelligitur, quantum est ex me, non ingrediar primus.

Quartus casus est, ratione relaxationis ab eo, cui promittitur. Si enim iurauit, me tibi daturum pecunias, si postea dimittis, non teneor dare. In his omnibus non obligat iuramentum promissorium.

Circa comminatorium autem idem ferè dicēdum est. Cum enim sit cōminatorium, quoties malum aliquod pœnæ promittitur, quoties ipsum inferre malum est, cessat obligatio. Sunt etiam aliqui casus, in quibus, licet à principio boni fuerit, tamen postea non obligat.

Primus est, quando interuenit aliquid, quod facit melius non implere promissum, quam implere, sicut fuit in iuramento Dauid, quo mortem Nabal iurauit, tamen, precibus Abigail interuenientibus, melius fuit illi acquiescere, quam implere iuramentum.

Secundus est, quando mutatur status rei: vt, qui iurat se caegarum seruum, vel filium, si postea supplex veniam petat, corrigi paratus, non tenetur implere, quia iuramentum obligabat, seruato statu eodē, in quo seruus, seu filius non erat creatus, nec animum mutauerat.

Tertius est, cum malum illatum inutile speratur, aut maiori perniciōni impedimentum. Si enim constet, aut creditur post,

talem



talem pœnam fore inutilem seruo, aut filio, aut exiliis illatione pax domus perturbatur, eò quòd infurgat rixa cum vxore, vel familia, non debet iuramentum implere: peccatur tamen, qui ista prouidens iurauit: nam tunc est iurare in malum culpæ. De execratorio idem dicendum est quod de illis: que hinc patet, quando, & quomodo liceat iuramentum in quouis genere.

*De iuramenti dispensatione.*

CAPVT XXIII.

**Q**uemadmodum circa votum considerantur quatuor, annuatio, dispensatio, commutatio, & absolutio, sic etiam circa iuramentum. Annuatio, seu relaxatio, est ipsum iuramentum pro nullo declarare.

Pertinet autem ad superiores, in eo, quo superiores sunt, vt ad patrem respectu filiorum, ad Dominum respectu serorum, ad maritum respectu vxoris, sicut de voto: ad Pontificem respectu cleri, vt habet S Thom. 2. 2. q. 89. art. 9. est enim Dominus rerum Ecclesiasticarum. Vnde, qui iurauit se collaturum alicui beneficium Ecclesiasticum, vel aliquid aliud Ecclesiasticum, se habet ad Papam, vt seruus ad Dominum, potestque Papa relaxare absque vlla causa pro sua voluntate, huiusmodi iuramenta: dispensare verò, & commutare, ad Episcopum, & ad Papam pertinet, cum tamen est causa talis dispensationis: potestque Episcopus dispensare, & commutare in illis tantum iuramentis, quæ, si voto essent, posset dispensare, vt Carota 4. 2. quæst. 89. art. 9. Vnde, illa quinque iuramenta Papæ seruantur, quæ, si vota essent, ipse solus posset: vt, iuramentum castitatis, religionis, peregrinationis Compostellæ, sancti Petri Romæ. Quando autem est iuramentum in alicuius terrij utilitatem, non potest, absque voluntate terrij, etiam à Papa dispensari, sicut nec Papa potest auferre rem alterius: vnde, qui alteri promittit sub iuramento pecunias tenere, nisi ille, cui promissæ sunt, relaxet. Duo casus sunt, in quibus posset tale iuramentum dispensari, aut commutari, aut relaxari.

Vnus est, in pœnam illius, cui factum est iuramentum: vt enim potest pecunia mulctare, ita potest iuramentum



factum relaxare; & sic relaxat excommunicato factum iuramentum, in eius penam, 15. q. 6. c. nos Sanctorum, & c. iuratos  
 Alter est, cum tale iuramentum factum est vi, aut metu, aut fraude alterius. Cum autem iuramentum non est in utilitate alterius factum, tunc ipsemet, qui iuravit, potest in id, quod aperte melius est, commutare: cum autem in utilitatem alterius est, non potest, sed quod promissit, tenetur implere, nisi ab altero acceptetur, ut diximus de voto. Confessarius autem ordinarius potest absolueri a peccatis contra iuramenta factis, non tamen absque aliquo privilegio iuramenti facti obligationem auferre. Hæc sunt, quæ maximè de iuramento spectant ad Confessarium; & etiam hæc sunt, per quæ hoc præceptum declaratur.

*De tertio præcepto Decalogi.*

CAPVT XXIV.

**T**ertium hoc præceptum habetur Exod. 20. in hæc verba, *Memento, ut diem Sabbati sanctifices:* unde communiter desumptum est carmen, *Sabbata sanctifices.*

Primum igitur, quid sit Sabbatum oportet exprimere. Si autem nomen attendamus, Sabbatum idem est, quod quies, ut Sabbatum non sit aliud, quam dies vacationis ab his operibus, in quibus homo se exercere solet, ut Dei operibus intendat. Dominus Deus hoc præceptum Sabbati primum per Moysen Indæis dedit, eratque illa septimi dies, incipiendo a Dominica inclusivè.

Fuit autem eis hoc præceptum datum, ob tres causas. Prima est, ob memoriam illius beneficii insignis, puræ, creationis. Sex enim diebus operatus est cuncta, & die septima quietavit ab omni opere facto: quam diem præcepit observandam Indæis, ne tantum beneficium ab ipsorum meritis excederet, & ne errore Gentilium tenerentur obsecrati, qui mundum creabant æternum.

Secunda causa fuit, ob figuram Christi Domini in lege profecti. Christus enim integro Sabbato quieturus erat per mortem in sepulchro: Ob id, Iudæi in figura Sabbato quiescebant ab omni opere non necessario vitæ.

Tertio, ad quietem corporum. Est enim homo animal mortale, cui vires deficiunt labore continuo, voluit Deus diem imponere, in quo homines, & iumenta quiescerent, laborique tanto vires reficerent. Aduerte tamen, quod quamvis Sab-



batum principali significatione illam diem septimam significet, tamen nomine eius comprehenduntur alia Iudæorum festiuitates, quas Iudæi obseruare tenebatur: Ecclesia nostra modo post Christum etiã Sabbathum custodit, sed non diē septimã vt Iudæi, at octauam, quæ Dominica dicitur. Ratio hæc est, quia Iudæi nõ receperunt maius beneficium aliquod creatione, ob id, ipsum beneficium creationis ante omnia obseruabant. At Christiani, aliud maius beneficium receperunt, quod est recreationis, & redemptionis, quod consummatum est in resurrectione Christi facta octaua die, ob id diē octauam, in huius tanti beneficii memoriam, obseruant, vocantque Dominicam, quia noster Dominus Christus in ipsa totum opus redẽptionis perfecit. Est etiã alia causa huius nobis promissiones factæ sunt regni cælestis, quales Iudæis non erant factæ: bona enim terræ illis promittebat Deus, & nobis bona cælestia. Cũ autem ista perficienda sint octaua ætate mundi, qua generalis erit resurrectio, ob id ad promissionis commemorationem, nos diem octauum celebramus. Quamuis autem hoc festum præcipuum sit, tamẽ etiam nomine Sabbathi in hoc præcepto alia festa intelliguntur, quæ ab Ecclesia celebrantur, de quibus habetur vlti. c. de ferijs: quorũ quædam sunt obseruata in vniuersali Ecclesia de præcepto, quædam in particularibus Ecclesijs, ob peculiarem earũ deuotionem. Sunt autem particularia, eũ de præcepto sunt ita obseruanda ab omnibus illius Ecclesiæ, sicut festa vniuersalia ab omnibus. Ecce signum quid per Sabbathum intelligere oportet.

Aduertendum tamen, quod standum est consuetudini locorum circa quantitatem festi. Vbi enim consuetudo est celebrare festum a nocte diei præcedentis, ita obseruandum est vbi autẽ a media nocte, similiter: vbi a diei principio, simulatione. Inquirendum tamen est modò, quo pacto sit festus sanctificandus: in cuius gratiam aduerte, festum posse sanctificari, & posse bene sanctificari. Ad sanctificandũ duo sunt necessaria, vnum facere, ab altero abstinere. Quod faciendum est, id est sacrum audire, de quo dicemus in præceptis Ecclesiæ. Abstinentium autem est a duplici opere, & ab opere seruili, & ab opere ab Ecclesia prohibito.

Pro declaratione operis seruilis, aduerte, esse tria operum genera.

Quoddam est genus operum, quæ dicuntur anime. Hæc autem sunt opera, quæ ipsius animæ sunt; vt, intelligere, orare,

medi-



reditari, studere, videre: aut etiam ad talia animæ opera ordinantur, vt, disputare, docere, legere, scribere, pertinentia ad studium. Omnia etiam ista hoc comprehendimus, scilicet, opus animæ. Hæc opera non prohibentur in festo: vnde, licet studere, legere publice, etiam pro pecunia, disputare, exhortari, & concionari: non enim talia prohibentur opera. Hinc fit, vt liceat aduocato studere in festo super lites, & quæ studet, scribere, & informare etiam iudices scripto, & propter pecuniam, quia sunt ista animi operâ ita Soro lib. 2. q. 4. ar. 4. & Nauar. c. 13. num. 12. Caiet. 22. q. 122. art. 4.

Alia sunt opera corporis, sed communia quidem omnibus esse, tam potentibus, quam ignobilibus, dominis, & famulis: vt, iter facere, venari, saltare, vti musicis instrumentis. Et hæc etiam non sunt prohibita in die festo. Vnde, licet iter facere, auditio tamen sacro, licet venari & alia huiusmodi facere. Tamen aduerte, eum venatio, & iter ex officio fit, ex se non licet, vt dicit Sylu. verb. venatio; & tamen cōsuetudo iam obtinens ita non esse illicita, & ita tenet Nauar. loco citato, quamuis perantia fiant. Licita etiâ sunt exercitia artium quarundâ: vt, gladiandi, saltandi, pulsandi instrumenta, licet pecunia fiant.

Tertia opera sunt, quæ ex se famulatum quendam habent, quo homo homini seruit, & famulatur: vt, suere, arare, & alia mechanica: & talia sunt prohibita, dicuntur; seruilia, quia ad famulatum quendam pertinent. Non licet igitur hæc opera exercere diebus festis. Atque hoc opus est seruile, à quo abstinendum est. Opus autem ab Ecclesia prohibitum, habetur c. 1. de feriis, vbi quædam prohibentur operâ, quæ non omnino mechanica videntur.

Primum est, mercatus. Sunt autem tres mercatus.

Primus, qui bis in anno, aut ter singulis fit annis, dicuntur triennales: & hæc non sunt prohibita; aut si sunt, cōsuetudo obtinet, licitas esse diebus festis, nisi in aliquo loco cōsuetudo contrarium obtinuerit; dum tamen sacrum audiatur.

Secundus est mercatus, qui singulis fit hebdomadibus, & hoc non licet diebus festis, nisi in aliquo loco cōsuetudo contrarium obtinuerit.

Tertius mercatus est, emptiones, & venditiones particularum, quæ sunt quotidie, & hæc etiam prohibentur in isto serone.

Secundum opus est placitum, id est, sententia ciuilis, & strepsudicialis Iudicium, & Notariorum, & aliorum in talibus.



iudicium concurrentiū, & hoc est prohibitum. Vnde nō licet iudicibus sententiam ferrē: imo in foro etiam exteriori, nulla est. Nec licet Notarijs scribere; nec ipsis transcribere scripturis. In quo maximē apparet Notariorum peccatū, qui seruant pro festis implere chartas, quas reliquis diebus in brevi notarunt. Nec licet dicta testium examinare, nisi ob necessitatem aliquā, putā, quia alio tempore commode testes, vel personae haberi non possunt. Licet autē iudicibus, ex concessione Pontificis, non omnibus, sed ruralibus, in diebus festis vti iudicio, quando homines illius pagi alijs diebus suis sunt operibus intenti, quae non possunt absque incommoditate dimittere. Nauarr. c. 19. num. 13.

Tertium est, sententia mortis, aut in causa criminali: haec enim fieri nō potest, nisi urgente necessitate, quia nō potest aliter cōmodē fieri: vt in belli tēpore fit, aut quando periculum est non exequendi iustitiam, nisi tunc sententia feratur.

Quartum est prohibitum iuramentum iudiciale: hoc enim non licet: imō nullum est in foro exteriori, cum in festo sumitur. Hoc opus igitur est, a quo abstinere debemus in die festo, illudq; sufficit ad festi sanctificationē. Ad bene autē sanctificandum, vltra hoc, aliud est necessarium, putā, vt qui est in mortali, tunc conteratur, & ad Dominū conuerti studeat: qui vero est in gratia, diuinæ vacet contemplationi, & bonis operibus, vterq; autē a nouo peccato abstinere. Aduerte tamen, quod homo tenetur sub mortali ad sanctificandum festū; sed non tenetur sub mortali ad bene sanctificandum: vnde, non est audiendus Scot. 3. sent. dist. 27. qui dicit, in die festo peccantē mortaliter, bis peccare, quia ratione temporis est nouum peccatum mortale, & necessaria est circumstantia cōfessionis. Similiter, cum, qui de peccato non conteritur, peccare mortaliter haec enim est falsum, nec vllō modo populo praedicandum. Licet enim grauius peccet, qui peccat in die festo, tamen nō est grauitas mortalis, nec circumstantia necessaria confessionis. Et ratio est, quia finis festorum est sanctitas ipsa, quomodo dicit Scotus. Ad finem autē nullus obligatur alia obligatione quam mediatorū. Non enim obligor ad carnis macerationem, quae finis est ieiunii, sed ad ipsum ieiunium. Ita solum obligor ad illa duo in festo praestanda, non ad finem, quamuis consilium sit optimum, omnia ista exequi in die festo. Vide Soto, & Nauarr. loco citato, & Caiet. verb. festū, qui nobiscum sentiunt.



*De peccato non sanctificantis festa.*

## CAPVT XXV.

**N**on sanctificare festa, ex genere suo mortale est, cum sit contra diuinum preceptum. Excusatur tamen ob materiae leuitatem. Cum enim aliquod opus paruum est, non est mortale: vade tonfori, vnum in die festo tondere ob aliquam commoditatem, quia non illi vacauit, vel nullum est peccatum, aut ad summum veniale. Cum tamen materia est magna, vel continua, quia singulis diebus fit, tunc mortale est, nisi excusetur in sequentibus casibus, in quibus licet absque peccato in die festo operari seruilia.

Primus est, in Dei cultum: cum enim opera seruilia immediate in Dei cultum ordinantur: nec nisi in festo fieri possunt, licita sunt, vt sonare campanas, portare cruces, & similia. Dixi, quae immediate ordinantur: nam remota opera, vt colere agros ecclesiarum, aut aedificare ipsorum domos non licet, nisi alicuius ecclesiae pauperis nimis, cui aliter vix subueniri potest. Dixi etiam, quae in festo fieri debent: nam coquere hostias, ornare templorum parietes non licet in die festo, cum fieri possunt ante festum; secus, quando non ita fieri poterunt: quamuis quocumque modo ista facere, etiam cum ante fieri possent, ex se non sit mortale peccatum.

Secundus casus est, ob necessitatem. Est autem multiplex necessitas.

Prima corporalis propria. Ob hanc enim licet operari. Vnde, licet pauperi, qui aliter non potest ali, nisi manuum labore diurno, etiam in festo laborare secrete ratione scandali, dum tamen sacrum audiat prius. Altera necessitas est corporalis proximi, puta, infirmitas, ratione cuius licet omnia opera ad hanc necessaria adiuuere. Vnde, excusantur medici, tonfores, pharmacopolae, & alij suam ad hoc operam exhibentes: Excusantur etiam notarij testamenta conficientes: Est etiam necessitas proximi, corporalis victus, ratione cui excusantur qui viues vendunt, occidunt animalia, & vendunt necessaria illis rebus festiuis ad victum.

Tertia necessitas est rei propriae, vel proximi. Vnde, licet, ne minimum aliquod homo patiat in re, operari in die festo, cum probabiliter pateretur damnum, nisi illa opera fierent. Vnde, licet in tempore messis metere, & tempore autumnii se-



re, cum timetur periculum aliquod temporis non oportu-  
ni; & ratione huius excusantur operarij, quorum opera inter-  
mitti non possunt absque damno: vt, qui vitrum fundunt, &  
qui nauigant, & similes.

Quarta est, ad euitandum damnum corporis. Vnde, in  
tempore belli aggeres necessarios struere, muros ædificare, &  
similia.

Quinta necessitas est, cum perditur occasio magni lucris,  
in piscatione alecum, & thynnorum, qui non nisi certis diebus  
veniunt, tunc licet piscari in die festo, & licet de ferijs.

Sexta est vis, seu violentia: vt, cum famuli, vel serui, labo-  
rare in die festo coguntur à dominis. Nauarr. c. 13. nu. 7. quod  
intellige de obligatis ad seruiendum, dum modo non cogun-  
tur à dominis in fidei contemptum: tunc enim mors potius est  
obeunda. In his omnibus necessitas excusat.

Tertius casus est pietas, in bonum, & vtilitatem proximi  
digentis. Vnde, licet sepelire mortuos. Licet etiam pro egenis  
laborare, dum modo in graui necessitate sit, alias non. Vnde,  
dicit Caietanus, non licere vias sternere publicas pro viaribus,  
aut pontes erigere, nisi urgeat necessitas, cum alio tempo-  
re fieri possunt.

Quartus est, bonum Reipublice, vnde, licet istis viaribus  
publicis, in Reipublice vtilitatem, iter conficere. Licet etiam  
in publicis solennitatibus preparare vias, & construere loca  
pro spectaculis, quando non possunt fieri nisi in ipso festo.

Quintus casus est, Pontificis, aut Episcopi licentia expressa,  
cum id concedit, aut virtualis, cum aliqua opera videt, &  
dissimulat. In his casibus licet in festo operari, extra  
quos non licet, sed seruanda sunt  
modo prædicto.

(. .)

*Laus Deo. Finis libri Quartii.*